













PHYSIOLOGIA CREPITVS VENTRIS, ET RISVS,

RECOGNITA EXPLANATA, ET ITERATO edita,

A

D. RODOLPHO GOCLENIO.


Cum Ritu Depositionis Scholasticæ.



PROSTAT FRANCOFVRTI in Officina Paltheniana.

M. DC. VII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



AD LECTOREM,

RODOLPHVS GOCKLENIVS.

IOdocus Willichius egregiis ſcriptis celeberrimus in Academia Francfordiana ad Oderam dieb. canicularibus, olim ante annos 53. ludicra quædã problemata de crepitu vẽtris auditoribus propoſuit, quæ etſi γελοῖα videan-

tur, præter iucũditatem tamen, quam ſecum afferunt, ſunt valde literata, tantum abeſt, vt ſint ἄμουσα. Hæc diu a me deſiderata, accepi tãdem a clariſſ. viro Calebo Trygophoro, populari meo Profeſſore Logic. in modo dicta Academia digniſſimo. Accepta a mẽdis Typographicis quã plurimis purgaui, & alicubi explanaui. Ita adornata dedi typographo iterũ in lucem proferẽda: iſtud meum ſtudium, mi Lector optime, æqui boniq; conſule, & mecum ſales iocoſque literatos approba: Sales

Iocoſ-

Iocoſque illiteratos libens improba.

AD EVNDEM IVSTVS OBSEQVENS.


Hic nihil eſt aliud, dulcis quam moſchus & ambra.
Cur munctas nares contrahis vſque tuas.

EPIGRAMMA AD CLARISSIMVM VIRVM DN. RODOLPHVM GOclenium, inclytæ Academiæ Marpurgensis Professorem Philosophiæ celeberrimum, amicum suum veterem, &c.

Nicolai Theophili Cimbri I. V. Doctoris & Professoris Regii in Academia Hafniensi.

DVm rerum caussas rimare Rodulphe latentes,
Multaq; cimmeriis eruis e tenebris:
Et cæcis infers naturæ lumina chartis,
Et clausum ad Musas nobile pādis iter:
Et Physicis logicas adiungis gnauiter artes:
Magnus es & Physicus, magnus & es Logicus.
Perge tuo cupidæ prodesse labore iuuentæ,
Quodque facis studiis vtilis esto scholis.
Ingenii monumēta tui ne subtrahe, libros:
Inuidiam Musis dedita turba fugit.
Sic petitur cœlum, sic gloria vera paratur:
Quæritur hac, alia non ratione, decus.


Hoc Phœbus, Musæque probant, Academia poscit,
Accola quam Rheni Lanus honore colit.
Hoc quoq; doctorũ desiderat ordo virorum,
Qui non immerito te reuerenter habẽt:
Sic eris Aonii ductor gregis atque magister,
Et fama tanges laudis vtrumq; polum:
Et suum Aristotelem te Teutona terra vocabit,
Et Ramus nostri temporis alter eris.
Viue diu sospes, me semper habebis amicum,
Dum licet hac vitæ conditione frui:
Viue vale & nostri non obliuiscere amoris,
Et meus, & caussa est cur tuus esse velim.



PROBLEMATA DE CREPITV VENTRIS.

I. De definitione Nominis.

Vnde dicitur Crepitus Ventris.



CRepitus Ventris dicitur a Crepando, id est, sonando, quia per certa sonorum discrimina crepat, quasi ima aluus crepitaculorū sit plena, atque adeo κρέμβαλον. Græcis est πορδὴ, vnde Germanicum vocabulum natum esse creditur, & Aristophanicū est ἀντιπεπορδεῖν, quod est oppedere. Nam & Latinis tantum est pedere, quantum alias est crepitum ventris emittere. Dicitur & Flatus ventris a flando. Ac eundem Horatius similitudine soni ex vesica displosa explicat his versib. libr. 1. Sermon. Satyr. 8.

Nam displosa sonat quantum vesca, pepedi,
Diffisanate Ficus.

Sic enim Priapus sese ex ficu prognatum fingit, & se tantum ventris crepitum reddidisse asserit, vt veneficas fugarit, modumque crepandi hypotyposi quadã per natium fissuram, id est, podicem declarat. Quare Græcis istiusmodi flatus modo sunt ἀτμώδη πνεύματα, modo φυσώδη πνεύματα, id est, flatulenti venti, modo φῦσαι tantum.

Explicatio.

Ficus) Ego priapus diffisa nate) id est, podice hiãte Ατμώδη) exhalabundi spiritus, φυσώδη) flatulenti venti, φῦσαι) Flatus per Synecdochen generis, & quidem intelliguntur sonori, dicũtur & sibili ac bombi ventris: vnde illud:

Dum se curuat anus, retro illi bombilat anus.

Et hoc ridiculum in Monachũ quendam.

Inter erat rasos abdomine venter anhelo
Forte olim ludi pars Grobiane tui.
Semper erat victuque satur potuque refertus:
Thura dabat mensis, non adolenda Diis

Postic

Postici edebant male olentia sibila folles,
Multa quid? hic Monachus nil nisi flat' erat.
Forsitan ad mensam cum Cœnobiarcha sederet,
Atq; vna Monachus carperet iste cibos:
Ecce velut displosa sonat vesica, decori
Oblitus, laxo podice grande crepat.
Tum crepitus fratrũ bibulas vt trãsuolet aures,
Et strepitum pedibus dat, grauiterq; screat.
Hic Abbas bone frater, ait, Ho transeat iste.
Et strepuere pedes, & crepuere nates.

II. De Rei definitione.

Quid crepitus ventris?) Est flatus in ima aluo conclusus, vel ex pituita redundante tepefactus, vel ex cibariis atq; medicamentis inflantibus potissimum natus per podicem variis sonis erumpens atque crepans. Siquidem quod superne egeritur est eructatio. Græcis ἐρυγή. Eadẽ materia prodiens, ita inferne prorumpens est πορδή. Colliguntur quoq; eiusmodi flatus ex alui duricie, sed hęc tanta non est, vt eosdem coaceruet, etiamsi intersepiat collectos flatuosos spiritus, nisi materia spirituosa affuerit. Est quoq; apud Plinium Onopordon herba, cuius esu

aſini pedere ſoleãt, vnde & illi nomen inditum eſt.

Explicatio & cenſura.

Crepitus ventris formaliter proprieque non eſt flatus (Materia enim non eſt genus definitionis) ſed ſonitus ortus ex flatu in ima aluo concluſo, qui per podicem erumpit. Eſt igitur tantum in ſenſu materiali flatus. Subiectum recipiens crepitus ventris, qua ſonus eſt, nõ ſolum eſt aer, ſed etiam aqua. Et aer & aqua ſonũ ad auditum defert. Ad ſoni productionẽ requiritur percutiens, percuſſum, medium corpus interceptum, violenta colliſio percutientis & percuſſi, mutua vtriuſque reſiſtentia, violenta eliſio medii intercepti, & ad latera diffuſio.

III. De cauſsis efficientibus flatuum.

Vnde eiuſmodi flatus gignuntur? Aut inde, quod pituitoſa materia liqueſcit & reſoluitur: aut inde, quod cibi inflantes ſunt vtrobique exiguo calore interce-

intercedente. Siquidem frigiditas, neque cibum concoquit, neque fumum excitat, neque diſſoluit. Ita æſtus quoque maior cibum cõcoquit, diſſoluit, attenuat, nullum fumum gignit, niſi cibus natura inflatiuus fuerit, qui fumum turbulentum & caliginoſum reddit. Sic exiguus calor fumoſum ventũ generat, ſicut in cœlo animaduertimus, quam ſerenus aer & clarus ſit cum aquilonibus perfletur, vel feruenti æſtate. Qui vero inter hæc duo conſtitutus fuerit, nebuloſum efficit aerem, ita in animalium accidit ventre. Calor imbecillis, cum cibos neque excoquat, neque extenuet, neq; conficiat ex pituita, vel in vẽtriculo, vel in inteſtinis tepefacto, multos flatus excitat. Nam ſicut in aeris conſtitutione cernitur, vt frigidiſſima, ſic & calidiſſima, neque flatuum, neque nebularum vim ciere ſoleat. Illic quidem nullus propter condenſandi ex frigore facultatem vapor excitatur. Hic vero ita attenuatur vapor, vt penitus euane-

ſcat. Relinquitur ergo exiguum calorem, & flatuum & nebularũ eſſe cauſſam. Porro de cibis quibuſdam ex ſuperioribus nemini dubium eſſe poteſt, cuiuſmodi ſunt, vua recens, ficus omnia legumina, & alia id genus flatulenta, eſculenta atque poculenta. Neque ignotum eſt, vt venus crudo, ſtomacho frequens ita conficiat.

IIII. V. VI. VII. VIII. & IX. De crepitus quodammodo artificialis cauſſis.

Facitne ad promouendum ventris crepitum radicis ſeu raphanalis eſus?) Facit: quia flatus gignit & eructationes concitat. (Eſt nim apud Dioſcoridem eius virtus πνευμάτων γεννητικὴ & ἐρευκτικὴ.) Idque facit, ſi non ſalſugine multa macerata, ſed cruda comeſta præſertim ante alios cibos cum garo alui deiiciendæ gratia ob aerem, qua exuberat qualitatem, & inde propter virtutem extenuatoriam. Obſonium tamen magis eſt, quam alimentum, non alia de cauſſa, quam quod manifeſta calfa-

calfactione etiam attenuandi facultatem obtineat,& a cœna cum esitatur, mirifice ꝓpter multos spirituosos flatus in caput exhalantes,sensus cunctos offendit. An quod ægre concoquatur. Quod genus esculenta plæraque vaporosos spiritus ciere solita sunt, & Hippocrates ait de radice, Μοχθηρὸν ἡείτη ἐπιπελήτον καὶ δύσπεπτον, quod est,raphanidis radix est nequam,cum olei modo in ventriculo supernatet & concoctu difficilis sit.

Explicatiuncula.

Πνευμάτων γεννητικὴ) Creatrix flatuũ, ἐρευκτικὴ) creatrix eructationum Hipp. lib.2.de victu,μοχθηρὸν) id est, res praua est radix natans & difficile concoquitur.

V. De crepitibus artificialibus.

Fabæ, cur flatus ventris concitant? An quia inflant, hoc est, sunt flatulentæ, etiam si diutissime coctæ fuerint. Neq; suam naturam exsuũt coctæ, quoties ex ea pultes conficiuntur, vel liquidæ

Græcis ἔτνα vel ſpiſſæ. Præparantur & pulticulæ fabaceæ, aut cum ptiſana (quæ etſi flatum omnē deponere creditur, tamen aliquis a flatuoſo ſpiritu totius corporis tenſionem atque inde pandiculationem quandam perſentiſcet) aut cum ſuilla, quæ ſua pinguedine iuxta cum ſale admiſto flatus mitigaret, aut cum cepis crudis, quæ vix eoſdem contemperarent. Integræ tamen fabæ, vel virides, vel maturæ valde ſunt flatulentæ, minus tamē frixæ, concoctu difficiles, ϛαϲιμαὶ.

Pandiculationem) Wann einer vnluſtig iſt / vnd ſtreckt ſich wie ein Hund / Fit fere cum oſcitatione. ϛαϲιμαὶ) quæ ſiſtunt aluum. Contra λυσιμαὶ quæ ſoluunt.

VI.

Cur minus peditur ex piſaceis pultibus?) An quia non tot & tantos flatus procreant, atque fabaceæ, præſertim, ſi ex depellatis medulla percocta & pinguedine ſuilla, ſeu butyro iuxta cum

ſale

ſale condita fuerit, ſicut Boiehemis in more poſitum eſt.

Depellare) eſt pellem detrahere.

VII.

Cur Vandali ex ceparum eſu frequentius pedunt? An quia ſunt Dioſcoridi πνευματωτικαὶ & δηκτικαὶ, hoc eſt, inflandi atq; erodendi ſeu commordendi vim habent, quæ in pituita reduntante multos ſpirituoſos flatus gignunt, maxime ſi cepæ longæ, ruffæ, ſiccæ & crudæ fuerint. Vandalos autẽ cepis vel quotidie victitare, notiſsimum eſt, quibus & grauiſsimi ventris crepitus gratiſsimi ſunt.

Πνευματωτικαὶ) quę cõſtant flatibus, & quæ mordent. *Commordendi)* propter vehementem acrimoniam.

VIII.

Cur idem allia faciunt?) An quia ſua acrimonia in pituita idem quod cepæ expediunt, cum flatuoſorum ventorum copiam promoueãt. Quare Dioſcorides illi tribuit vim ἐγκειτικὴν φυσῶν.

καὶ κοιλοίας ταρακτικὴν καὶ ἐμπνευματώσεως ἀλλοιωτικήν, quod eſt, flatus & peditus excernit, aluum perturbat atque inflationes gignit.

Ἐκκριτικὴν &c.) id eſt, expulſorum flatuum & ventris perturbatricem & inflationis permutatoriã ſeu altricem.

IX.

Cur eruca braſſica, bulbi, lac, eiuſque ſerum, muſtum, omnia dulcia, omniſque cibus, qui facile concoquitur, ſecunda appoſitus menſa, crepitus ventres adaugeant? An quia eadem vniuerſa flatulenta cibaria ſunt, maxime cum infirmus calor cum craſſis humoribus atqne crudis affuerit.

X. De Differentia petita ab adiuncta magnitudine.

Cur aluus ſeu ructus, ſeu ſtridor ventris eſt magnus, aluus non item? An quia inſtrumenta ſunt ampla & ſpacioſa, vel quia flatuum ingens multitudo obmurmurat, vel quia neceſſario vtrumque alteri additum & coniunctũ, multo re-

to rectius magnum cõficiet bombum, ita si exiguus fuerit flatus, & locus angustus, ecquis non parum inde spirare crederet? Quare inde colligitur, vt seu ructus, seu flatus vnus aut alter desinat. Crepitus ventris etsi solet recta per aerem ferri sine aeris motu reciproco, tamen tantus esse potest, vt sonus eius audiatur reflexus, qui echo dicitur sonus ex reciproco motu aeris allusi ad aliquod obstaculum resultãs, imperfecteque, seu diuise partibus nimirum postremis ad auditum reflexis. Obstaculum enim corpus durum densum & concauum, qualia corpora sunt conualles, rupes concuruæ, tecta concamerata, sua resistẽtia cum non sinit vlterius ꝓgredi, vel ad latera diffundi. Tunc igitur aer, soni ὄχημα seu vehiculum eadem via, qua accessit, cogitur resilere & retroflecti vna cum sono, quem secũ vehit. Sed quia motus ille aeris reflexꝰ seu reciꝓcus priore simplici est imbecillior, sonus mutilate ad organum auditus reuehitur.

XI. De differentia locali.

Quare flatus nunc ſurſum, nunc deorſum verſus mouentur?) An quia talis ex proximo vicino loco erumpit, veluti ſi ventriculus flatulentus fuerit, eructatio naſcitur, ſi venti in craſſioribus potiſſimum inteſtinis cōcluſi fuerint, quorum impetu erumpente crepitus ventris redditur. Sæpe tamē eius motus eſt nunc externus, q ſuis nominib. appellatur, veluti ἐρυγὴ & φῦσα, nūc internus eſt, ἐμπνευμάτωσις Latinis inflatio, quæ fit ob debilitatem virtutis expultricis, cum ſpiritus vaporoſus redundans ac nebuloſus non expellatur.

XII. De differentia a ſono.

Vndenam tanta ſonorum in crepitu hoc varietas prodit?) An quia ſpatium loci & materia flatuum varia eſt. Siquidem eius ſonus eſt, aut acutus & tenuis exacte, qui flatum ſeu per graciliora inteſtina, ſeu per anum conſtrictam, vt locus ſit anguſtior, deferri arguit, aut nō exacte ſtrepitum quidem fieri,

fieri a ſpiritu, cui vis inflãdi adeſt, dum in tenuioribus inteſtinis reuoluitur, ſignat, aut eſt βομβώδης, Latinis eſſet bõboſus, qualis ex ampliſsimis tibiis, quas τυμβαῦλαι habent, id eſt, ſiticines, redditur, & eſt tum grauiſsimus propter viã, hoc eſt, inteſtinorum craſſorum & vacuorum amplitudinẽ, tum valde obſcurus propter materiam, qua purus ſonus reddi nequit. Eſt & alius a ſono βορβορυγμὸς, Latinis forſan eſſet murmurillus, qui fit ab humiditate in inteſtinis contenta, humidi excrementi excretionem ſignans: hic vero eſt aut purus, ſonorus & clarus, vel quia inteſtinũ eſt inane, vel quia excrementa dura in ſuperiori eius parte continentur, aut mediocriter bomboſus & ſtridens, qui dicitur τρυσμὸς vel τεισμὸς, qui fit ab anguſtia inſtrumentorum euaporante ſpiritu cum pauca humiditate. Hinc coniectura artificioſa fieret, cur nunc ſtrideat, nunc non item, illic eſt φύσα ψοφοῦσα, flatus ſonorus; hic ἄψοφος φύσας flatus ſine ſono.

Schol. βομβώδης) poteſt etiam dici, βομβαύλιος, bombiſonus, qua voce vtitur Ariſtophanes de veſpis.

Feſtiuũ animi gratia addo ænigma:

Ante domum quidam ſe clam cœco parat antro
Proripere incautus nil metuenſque mali.
Nam ſe exiſſe ratus quidã arcte comprimit ipſis
In foribus, clamor ſurgat vt inde grauis.

Solutio.

Abſque ſono flatus ſæpe affectatus acuto,
Non affectatum ventris it in crepitum.

XIII.

Eſſetne in hoc crepitu Muſica?) Eſſet, nõ quæ voce per eius iuſta inſtrumenta fit, non quę fit impulſu muſico cuiuſpiam rei ſonoræ, vt fit in chordis vel citharæ, vel conchæ, vel pſalterii, vel teſtudinis, quæ a Cẽſorino κρουσματικὴ, id eſt, pulſatoria nominatur, ſed quæ fit ſpiritu, ſicut per tubam, & tibiam redditur. Quapropter hic non eſt, neque ἁρμονικὴ neque ῥυθμικὴ, ſed ὀργανικὴ Itaque chordas iuxta ſonum, quis hoc loci ſtatueret, nunc ſumas, ὑπερβολαίων, nunc medias μεσῶν, nunc imas ὑπάτων,

non

non ſecus ac in diatonico canendi genere per Pythagoream dimenſionem diſpoſitum eſt. Itaque ſæpe tibias audires puellatorias, quæ a ſono clariore ſic dicuntnr, ſæpe gingriphas, quæ etſi breuiores reddit ſonos, ſubtilioribus tamen modis anſerum modo ſtridũt, quod & Feſtus gingrire dixit, ſępe miluinas, quæ in acutiſſimos exeunt concentus, ſæpe pedicas, ſæpe alias atque alias tibiarum formas attentius auſcultares. Et ſicut in cithara intenſiores chordæ acutiorem, & cõtra rẽmiſſiores grauiorem edunt ſonum, ita in inteſtinis ex ſubtiliore fumo & loco anguſtiori acutior, contra ex nebuloſo & ſpatio ampliori bis tanto grauior efficitur ſonus? Hinc & Olympus Marſiæ diſcipulus recte ἀυλητικὲς νόμυς, excogitaret. Hinc Terpander Citharædicas leges conſarcinaret. Quid multis? Ima aluus eſt, veluti κρέμβαλον φολύφθογγον, in in quo & ſyſtema octo troporum quis citra negotium colligeret.

Κρέμβαλον) organum muſicum multiſonum.

tiſonum. *Troporum)* tonorum. *Pedicas)* puerorũ. Vt fides tenſæ & tibiæ inflatæ varios edunt proferuntq́; ſonos pro diuerſo motu eorũ, q̃ fides intendunt, & tibias inflant. Sic pro motu voluntatis, vel interiore diſpoſitione aliarũ cauſſarum crepitus diuerſi variique ſunt, alii acuti, alii graues, alii clari, alii obſcuri, alii vniformes, alii multiformes ſunt.

XIIII. De ſigno præcedente.

Cur ventris rugitus audiatur?) An quia flatus intra teſtina adhuc obmurmurant, nondum erumpentes. Itaque rugitus eſt id, quod in aulodia προαύλιον, in oratione προοίμιον, in poeſi πρόλογος, alioqui vtriuſque ventris & crepitus, & rugitus eadem eſt materia, idemq́; locus genialis.

Aulodia) arte canendi tibiis. *Locus genialis)* Intellige inteſtina.

XV. De adiuncto odore.

Cur interdum bombus plurimum fœteat?) An quia in inteſtinis vna aliqua

qua putrefactio ſuborta, aut quia diutiſſime flatus retenti ſunt, atque ita loco interſepti computreſcere incipientes, aut quia cibis comeſtis grauis odor aderat: Itaque bombus eſt aut ceposus, aut alliatus, non aliter atque ructus eſſe conſueuit. Quare conſultiſſimum eſt odoris ratione reddituris cibi qualitatem expiſcare, alioqui & excremēta & flatus ob affectionem grauiſſime redolebunt. Vt vt ſit, ſemper tamen plus minus ad ingenium ſuum redibit.

Crepitui vētris, qua flatus eſt ſeu ſpiritus, adiūgitur vt ſubiecto odor ingratus olfaciētem moleſtans. Odor enim qualitas eſt adiuncta halitui, non vehiculo. Quæritur, an flatus ventris male olens grauis ſit odoris? Reſp. Odor eius eſt fœtidus, non grauis phyſice loquendo. Odor enim grauis eſt, qui ex eo corpore, quod minus fortiter fragrat, reſoluitur, talis eſt odor pulegii. Odor vero fœtidus eſt, qui ex corpore putreſcente, vel materia excrementata ſeu excremento oritur.

Quæritur & hoc, *An hic odor oriatur a calore?)* Reſp. Si omnis odor oritur a calore, & ſine eo non poteſt halitus, qui eſt ὄχυμα, id eſt, vehiculum & ſubiectum odoris, ex corpore odorato reſolui, vt cum eo odor ad olfactus organon deferatur, ſequitur & ingratum odorem flatuum e ventre emiſſorum a calore oriri. Ita autem a calore exſiſtunt, vt ipſi quoque calidi ſint.

XVI. De adiuncto acceſſoria.

Vnde nam talis flatus incendatur?) An quia ſpiritus & ſpirituoſus vapor eſt, quæ ſi candela incenſa inflammauerit, mox hic ſua leuitate in altum ſeſe attollit, & pro materiæ multitudine diu ardet, vſque ad eius abſumtionem. Facit & nonnihil ad incendium impetus crepitantis ventris, ſicut in ictu ſilicis atque fomitis fieri vſu comperimus.

XVII. De connexis.

Cur prodeſt ſimul & pedere & meiere?)

An

An quia vtrumque excrementum, quaſi vno impetu expellatur. Vrina enim veſicæ receptaculo excernitur, ſicut peditus ex inteſtinis. Proinde vtrumque inſtrumentum graui onere & faſce leuatur, etſi prius mingere oporteat quam pedere, tamen mox vtrumque alterum pene ſequitur.

Nequit enim fieri, vt veſica extenta ventris crepitus fiat propter recti inteſtini compreſſionem, ſed illa euacuata, hoc iterum dilatari poteſt, id quod & cacantibus accidit. Quare non ita improbandus eſt verſiculus paſſim diuulgatus.

Mingere cum bombis res eſt ſuauiſſima lumbis.

XVIII. De adiuncta frequentia.

Cur expedit ſæpius crepitum ventris reddere?) An quia flatus in ima

aluo retenti multorum & magnorum morborum auctores sunt. Vnde enim hypochondriacus furor, vnde tympanites, vnde conuolus, vnde colica, vnde tormina, vnde vẽtriculus flatulentus, vnde tot fluxiones in capite ex fumorum meteororũ exstillatione, prognatæ, in subditas partes destillantur & deriuantur, nõ aliunde atque ex iisdem flatibus. Itaque ad vitanda talia incommoda nullis rationibus flatus occludendi & retinendi sunt, imo magis expellendi, ne qua fiat obstructio.

XIX. De remediis expulsionis.

Suntne remedia expulsioni flatuum inseruientia. Sunt, quæ vulgus medicorum carminatiua appellat. Hoc tamen tragema ad ventris inflationes mirifice conducit, quod habet anisi, fœniculi, enici æquo põdere vnciam, Zedoariæ, Cardamomi, Cinnamomi, Zingiberis, Galangę, singulorũ drachmas ternas, Cariophyllorum drach-

mam

mam, Sacchari albi vncias ſedecim menſura autem cochlearii eſto.

XX. De contingentibus.

Cur ſalubre iudicatur flatum ſine ſonitu excerni? An quia non eſt tanta ſpirituum copia, & inſtrumenta, per quæ fit excretio, laxiora ſint. His enim rationibus flatus ſine ſonitu neceſſario excernitur. Quare Hippocrates ſic ſcriptum reliquit, φύσαν, ἄνευ ψόφου καὶ περδήσεως διεξιέναι ἄριστον.

XXI.

Cur melius iudicatur, quoties crepitus erumpit cum ſonitu, quam ſi cōdatur & reuoluatur? An quia flatuoſi ſpiritus ingens copia præſens adſit & inſtrumentorum quibus fit excretio, anguſtia. Nam ſi reuolueretur, haud paucos morbos generaret. Quare Hippocrates rectiſſime conſuluit κρέασσον, inquit, δὲ καὶ σὺν ψόφῳ διελθεῖν ἢ αὐτοῦ ἀνειλέεσθαι. Hinc enim εἰλεὸς in gracilioribus inteſtinis oboritur, qui Latinis eſt conuoluulus. Quid igitur rei eſt, vt

non potius vel maximo ſtrepitu pederet, quam iliacos dolores perferret? Itaq; idem ſubdit, καὶ οὕτω διελθοῦσα, σημαίνει ἢ πονέειν τι τὸν ἄνθρωπον, ἢ παραφροσύνην, ἢν μὴ ἑκὼν γνὴ ἄφεσιν τῆς φύσης ποιήσεται. Quod eſt, quod ſi ita excernitur, videlicet, cum ſonu & ſtrepitu, indicio eſt, hominem, aut quodammodo doloribus vexari aut delirare, niſi ſponte flatum dimiſerit. Paraphroſyne autem ſeu delirium ex corrupta imaginatione, ſeu in mania, ſeu in melancholia, ſeu in phrenitide propter flatuum in caput exhalantium multitudinem naſcitur, præterquam, quod iidem mentis ſuæ compotes non ſunt, & ita decorum negligentiſſimi. Sonorus vero crepitus ventris non ſemel affectatus eſt inter contubernales, qui eodem lecto tenentur. Tales enim deuorato pudore inter ſuos grauiſſimos bombos emittunt. Æneа enim tormenta propter tantum ſtrepitum quis iudicaret? Galenus quoque arbitratur quoſdam adeo ciuiles eſſe, vt mori po-

ri potius deligerent, quam tale aliquid committere?

XXII.

Cur murmur vel murmurillus, qui eſt βορβορυγμὸς, *dolorem hypochondriacum tollit?)* An quia flatus circa præcordia, aut vtraque, aut alterutra collecti, valde excrutiantes ex vicinia loci propter ſeptum tranſuerſum diſſoluuntur, imo melius eſt, ſi iuxta cum oleto & vrina excernantur, aut certe ad inferiores partes deriuentur. Solent enim in hypochondriis fieri intenſiſſimi dolores & κυρτώματα, id eſt, tubercula, quorum nomine quælibet motio intelligitur abſque inflammatione, ſiue œdemata, ſiue aliæ affectiones his affines ſint, præſertim recentes, quæ frequenter flatuoſæ ſunt, & murmur circa præcordia auditur, quod flatuum indicium eſt cum humore permiſtorum.

Proinde multo melius iudicabitur, ſi flatuoſus hic ſpiritus, vel deorſum verſus prtineat, vel cum excrementis ſimul euacuetur, & id voluiſſe Hippocratem his verbis non dubito. τοὺς δὲ ἐκ τῶν ὑποχονδρείων πόνους καὶ κυρτώματα, ἢν ἦ νεαρὰ καὶ μὴ ξὺν φλεγμονῇ, λύει βορβορυγμὸς ἐγγενόμενος ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ, καὶ μάλιστα μὲν διεξιὼν, ξὺν κόπρῳ τε καὶ οὔρῳ, καὶ φύσῃ ἢν δὲ μὴ καὶ αὐτὸς δὴ περαιωθεὶς ὠφελέει. ὠφελέει δὲ καὶ ὑποκαταβὰς, ἐς τὰ κάτω, χώεια, quod eſt: dolores hypochondriacos, & tubercula ſi recentia fuerint, & nō inflammata, ſoluit murmurillus in præcordiis factus, & potiſſimum, ſi exierit cum ſtercore, vrina & flatu, ſin minus vtique hic pertranſitus iuuat, iuuat autem ad inferiora loca deſcendens.

XXIII.

Cur multi etiam Imperatores crepitum ventris tanti faciant? An quia regiam poteſtatem habeat ὡς αὐτοκράτων vel αὐτεξούσιος, nempe qui liberā tenet plenamque rei conſtituendæ facultatem, qui ſui arbitrii eſt & iuris, ſubditos &

tos & ſaluare & perdere poteſt, tanquam αὐτόνομος, vt qui nullius imperio ſubeſt, ſed legibus ſibi probatis viuit. Id vero & Nicarchus libr. 2. Epigrammatum εἰς πορδὴν ſignificat, vbi peſtiferam retenti ſpiritus vim deſcribit, & cum eius verſus iucundi ſint, adſcribere illos haud pigebit.

Πορδὴ ἀποκλείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα
  Πορδὴ καὶ δὲ σώζει τρυλὸν ἱεῖσα μέλος.
Οὐκοῦν εἰ σώζει, καὶ ἀποκλείνει πάλι πορδὴ
  Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

Quos Vincentius Obſopeus ſic Latinos fecit,

Et crepitus multos nequiēs erūpere perdit,
  Et ſeruat, balbum quando dat ore ſonū.
Ergo ſi ſeruat crepitus iugulatque ſonando,
  Regib. hunc magnis quis negat eſſe parē?

XXIIII.

Cur Stoicis ſunt liberi, & ructus & flatus. An quia Stoicis omnia & agenda, & dicenda eſſent, ſicut naturæ ductus exigit, vt quadam ad Pætum Epiſtola Cicero docuit, lib. 9. epiſtolarum Epiſtolæ initiū eſt. Amo verecūdiam,

Sic & verecundiæ non tantus locus erat: Iudicarunt enim vtile eſſe pudorem deuorare, vt corpus redimatur. Quare nonnullis tuſſi crepitum diſſimulare, vt eſt in prouerbio, placuit. Verum hic liberalibus pueris verecundiam ſeruandam eſſe iudico, de qua ſic Cicero: Quæ partes, inquit, corporis ad naturæ neceſſitatem datæ, aſpectum eſſent deformem habituræ, atque turpem formam, eas contexit atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis, ipſique neceſſitati dant operam, vt quam occultiſſime pareant. Verecundi igitur adoleſcentes potius in abditum locum ſecedãt, quam turpiter in corona virorum pederent, & ſicut Heſiodus, de lotio reddendo neque in viis, neque extra vias progrediente & obuelatis conſuluit, ita adoleſcentulorum eſt, crepitum ventris

tris

tris in loco ſecreto reddere, extra hominum honeſtorũ conſeſſum & conuiuium.

Tuſſi) Prouerbium eſt, βὴξ ἀντὶ πορδῆς Tuſſis pro crepitu, natum ab iis, qui clara tuſſi crepitum diſſimulant ſæpe magno cum riſu.

XXV.

Quomodo retinentur flatus?) An quia nates ſic comprimuntur, vt muſculus podicis, qui a conſtringendo σφιγκτὴς eſt, arctius claudatur, alioqui Priapus diffiſa nate, vt eſt apud Horatium, maximum bombum emiſerat: Iocoſus quoque Martialis canit, vt Æthon in ſacro ſibi cauerit crepando, tamen compreſſis natibus Iouem ſalutat. Siquidem cum corpus reſupinauerat veterũ more, qui quoties Deos precarentur erecti ſtabant in ſummis digitorum pedibus, grauiſsime pepedit. Verſus autem Epigrãmatarii Poetæ lib. 12. hi ſunt.

Aethon in Capitolio pepedit,
Multis dum precibus Iouem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus vſq; in vngues.

Atque hoc eſt illud, quod Hippocrates ſcriptum reliquit, ἢν μὴ ἑκὼν τὴν ἄφεσιν τῆς φύσης ποιήσεται. Eſt enim crepitus vel affectatus, qui vix inter viros probos intolerabilis eſt, vel non voluntarius, quoties nolẽtibus aut reſupinantibus, aut ſeſe curuantibus erumpit, huic veniam dandam eſſe quis nõ iudicaret?

XXVI.

Cur plerunq; prius mingitur, quam peditur? An quia rectum inteſtinum eſt compreſſum, atq; ita flatui via præcluſa eſt, comprimitur autem per veſicam tumefactam, vtpote lotio nondum emicto, vbi vero iſthæc euacuata fuerit, mox ianua crepitui reſeratur, alioqui veſicam ſuperne recto inteſtino incumbere, cui nõ eſt notũ. Quare mutuum vtrinque eſt impedimẽtum, aut potius mutuam operam ſibi inuicem

cem dare hæ partes ſolent. Nam niſi quis aluũ exonerarit, vix lotium redderet.

XXVII.

Cur parturiẽtium venter frequentius crepat? An quia per locos muliebres inteſtinum, id quod Græcis ἐπειϑυσμένον, ita vrgetur, vt omnis flatus expellatur, & cum veſica per vteri, qui intra veſicam & rectum inteſtinum poſitus eſt, extenſionem exprimatur, ſæpius mingunt parturientes.

XXVIII.

Cur flatus ventris ſæpe obſcurior eſt? An quia oletum eſt liquidius: Siquidem, quo hoc ſiccius erit, eo ſpiritus clarior erit, quo humidius, eo obſcurior. Quapropter hic tibiæ fuſcæ illic valde ſonoræ & claræ ſonum agnoſceres.

XXIX.

Cur Diuus Claudius Cæſar edixit, & veniam dedit, ſi quis vel in conuiuio

flatum & crepitum ventris emitteret? An quia non pauci ex tormentis vel iliacis, vel colicis adeo torquentur, vt vitam cum morte commutent. Quare rectius traditum est, colicos & iliacos ventosos malo esse, si ventus inflari pergit: Sin vero permutatur, bono esse. Bene tamen indicat, si vterque remediis cedit, si excrementa iuxta cum flatibus exeunt, si dolor leuatur, si anhelitus grauis non est, si cibi tædium non est, si vomitus non perseuerat, atque si conuulsio ac delirium succedit, lethalis est morbus. Itaque edicti caussam Suetonius subdit, cum periclitatum, inquit, quẽdam præ pudore ex continentia reperisset. Hinc etsi ioco, tñ vere iactatur, magnũ crepitũ ventris magno talento æstimari.

XXX. De comparatione cum tonitru.

Cur Socrates Aristophanicus tonitru descriptionem cum crepitu ventris cõfert? An quia Anyti & Meliti impulsu Aristophanes Philosopho illuserat cum

Meteo-

Meteorologica rusticissime rusticum edoctum esse finxerat. Sic enim Poetæ visum, Socratem Philosophiæ auctorem, vel in Theatris tum traducere, tum sapientiam Philosophicam esse ἀμφισβητήσιμον ὄναρ ostēdere, aut quia tonitru eodem fieret modo, quo flatus ventris. Sic enim inquit Socrates ad Strepsiadem.

Αὗται βροντῶσι κυλινδόμεναι. (φέρεσθαι,
Ὅταν ἐμπλησθῶσ' ὕδατος πολλοῦ κἀναγκασθῶσι
Κατακριμνάμεναι πλήρεις ὄμβρου δι' ἀνάγκην,
εἶτα βαρεῖαι (γοῦσιν.
Εἰς ἀλλήλας ἐμπίπτουσαι, ῥήγνυνται καὶ πατα-

Id est, Hæ (*nubes*) quippe tonāt cum prouoluūtur, vbi repletę fuerint multa aqua, & impulsæ, vt vi cieantur, & postea suspensę plenę imbri, vti necesse est, inde graues & collapsæ in se inuicē, ibi rumpuntur demū eduntq; fragorem. Et paulo post,

Τὰς νεφέλας ὕδατος μεστὰς ὅτι φημὶ (νότητα.
Ἐμπιπτούσας ἐς ἀλλήλας παταγεῖν διὰ τὴν πυκ-

Id est, dico, si aquis nubes forte redundent collapsas in se inuicem & addensatas dare ab axe fragorem.

Sentit ex nubium circumuolutione, atq; ita densitate tonitrua confici.

Densas autem nubes notat, cum multa aqua refertas esse contestatur, itaque nigricant, atque cœlum obscurius redditur, atque ita tales nubes, coactæ & suspensæ, pluuiosæ. Itaque graues in sese incidentes rumpuntur, atq; ita sonitum, qui est tonitru, faciunt. Quapropter illi tonitru est sonus ex collisione & ruptura crassarum nebularum in se inuicem incidentium factus. Hic quidem loci subiecti, in quo fit tonitru, vera est notatio, sed soni non fit iusta explicatio. Agitari sane nubes dicit non a flatibus calidis & siccis, intra eas cõclusis & commotis vltro citroque discurrentibus viam quærentibus, qua ex tanta contrariorum lucta erumperent, sed dicit eas a turbine aerio cogi, & ita agitari, vt mutua fiat crassarum nubium collisio. At vero hic iocatur, cum agitationẽ, & vt ita dicam, coincidentiam, non a Ioue, sed a turbine fieri pronuntiat. &

δῖνον

δῖνον vocat, quæ vox prorſus ambigua eſt. Nam & impetum turbinemque, & poculum fictile ſuperne latum, interne anguſtum notat. Quare ruſticus admirans δῖνος repetit, quem regnare in agitandis nubibus arbitratur, ſubdubitans an veriſimile ſit. Itaque ruſticus quærit φέρε τοῦτι τῷ χρὴ πιστεύειν, agedum dic, vt iſtud ſit veriſimile, ſeu cedo quo modo poſſem hoc credere. Socrates ad rogatum reſpondit.

Ἤδη, ζωμοῦ παναθηναίοις ἐμπλησθεὶς, εἶτ᾽ ἐταράχθης
Τὴν γάστερα, καὶ κλόνος ἐξαίφνης αὐτὴν διεκορκορύγησεν.

Quod eſt, ex vẽtris crepitu id ipſum condiſceres, qui eſt κορκορυγμὸς, id eſt, inteſtinorum & ventris ſtrepitus, tumultus & latratus, veluti cum quinquatriis ab Erichtonio in honorẽ Mineruæ inſtitutis ventrem ſuum probe exſaturauerit. Sic enim venter ex coctione vel deprauata vel inæquali perturbatur, & ſonus per ventrem & inteſtina latrat, qui eſt rugitus futurorum flatuum vẽtris & cauſa & augurium.

Friſchlinus ſic vertit: Nonne in Panathenaicis, vbi iam iure oppletus tibi venter fuerit, tuque illum commoris, ſubitum murmur ſonat intus. Verum ruſticus craſſa ſimilitudine adductus confirmat.

Νὴ τὸν ἀπόλλω, καὶ δεινὰ ποιεῖ γ' εὐθὺς μοὶ καὶ
τετάρακται,
Χ' ὥσπερ βροντὴ τὸ ζωμίδιον παταγεῖ, καὶ
δεινὰ κέκραγεν.
Ἀτρέμας πρῶτον παππὰξ, κἄπειτ' ἐπάγει
παπαπαππὰξ.
Χ' ὅταν χέζω κομιδῇ βροντᾷ παπαπαππὰξ,
ὥσπερ ἐκεῖναι.

Quod eſt, Per Apollinem, & mihi grauia ſtatim fecit ciborum ſaburra, ventrem perturbauit, & offula nõ aliter ac tonitru ſonuit, & vehemẽter latrauit, primum quiete papax inducit. Deinde papapax, & quando caco vehementer tonat papapapax, non minus atque nebularum craſſarum colliſi . Friſchlinus ſic expreſſit. Ita per Phœbum: il icet horrendum intonat exoriturque tumultus. Et iuſculum vti tonitru ſtrepit intus: tum fragor editur ingens

ingens, primo ſenſim pappax, mox inde infert ſonitũ papappax. Et quando caco, tum demũ papapappax intonat, vt & ille. Ita ſuo ipſius exemplo κορκορυγμὸν fieri ait, cum offa repletus erat, & venter perturbatus ſic latrauit, vt tonitru quis iudicaret. Socrates vero iam perſuaſum exſtimulat, & a comparatis maiorib. hoc modo: Si ex crepitu vẽtris tantus fit ſonitus, quãtum gigni in aere, qui eſt immenſus, crederes? & a ſimilitudine vocis propter ſonum vrget. Magna enim eſt ſoni affinitas his vocibus, βρεντὴ, πορδὴ. Atque ſic Philoſophus apud Ariſtophanem ait: Σκέψαι τοίνυν γ' ἀπὸ γαστειδίου τοιουτουὶ οἷα πεπόρδας. τὸν δ' ἀέρα τον δ' ὄντ' ἀπέραντον, πῶς οὐκ εἰκὸς μεγαβροντᾶν. ταυτ' ἄρα καὶ τωνόματ' ἀλλήλοιν βρέντη καὶ πορδὴ ὁμοίω. id eſt, *Iam tu igitur conijce, ſi e tantillo tam grande pepederis aluo, qui non æquum ſit hunc immenſum aera & ipſum grande tonare? Atque tunc crepitus & tonitrus nomina ſono æquantur eodem.*

XXXI. De comparatione cum fulmine.

Quomodo crepitus ventris confertur cum fulmine?) An quia flatus exiens per

rimam, id eſt, podicem quodam impetu, tum candela incenſa, tum percuſsione ſuccenditur, & incenſus in altum decuſſus volat. Sicut Socrates Ariſtophanicus more ſuo iocãs fulmen naſci tradidit, cum ventus in altũ ſublatus intra craſſas nubes concluſus, ſic erumpit, vt ſeipſum ſuccendat. Eius au tem verſus hi ſunt.

Ὅταν εἰς αὐτὰς ἄνεμος μετεωρισθεὶς κατακλεισθῇ
Ἔνδοθεν αὐτὰς ὥσπερ κύστιν φυσᾷ κ' ἀπειθ' ὑπ' ἀνάγκης.
Ῥήξας αὐτὰς, ἔξω φέρεται σοβαρὸς διὰ τὴν πυκνότητα,
Ὑπ' τοῦ ῥοιβδοῦ καὶ τῆς ῥύμης, αὐτὸς ἑαυτὸν ἐκκαίων.

Hic fulminis notatio eſt, vt in craſſis nebulis ventus ſublatus & concluſus eaſdẽ ſic inflat, vt veſicã aliquam, atque ita nubibus ruptus, ſplendidum fulmen extra fertur, propter earum denſitatem. Nam propter ſtridorem, & impetum ipſum inflammatur. Verum alioqui eſt, in nebularũ craſſitudine, ventum, id eſt, halitum, calidum & ſic-

& ſiccum tanquam ἐκφλόγωσιν, concluſum eſſe, qui maximo impetu nubes iſtas perrumpit, & ſic inflammatur, atque κέραυνος vocatur. Sed hic ad ſuum iocum cum inflata veſica detorſit, atq; ruſticus Strepſiades aſſato ventriculo id a vero non alienum aſſerit.

ὅταν) id eſt, Quando ventus in ipſas ſubuectus ibique incluſus fuerit: tunc ipſas ceu veſicam inflat: & actus vt nubem perrumpit, & extra violento cum impetu fertur propter craſſitiem, atq; a ſtridore & vi ſeſemet adurit.

ἐκφλόγωσιν) inflammationem. *Aſſato*) quem agnatis in quinquatriis appoſuit.

XXXII. E conſuetudine Atticorum adulterorum.

Cur facilius adulteri comprehenſi, & vt ita dicam, raphanizati pederent?) An quia per radiculam via eſt patefacta crepitui ventris, Itaque apud Ariſtophanē εὐρύπρωκτοι, quaſi lati podices nominantur, & id multo magis, ſi more

veterum in adulterorũ cæſorum podices raphanos immiſerint, calidum cinerem inſperſerint. Illud quidẽ eſt Poetæ, ῥαφανιδωθῆναι, hoc vero eſt τεφρατιλθῆναι. Nam & Medici ſuas glandes ſubdititias ex rebus acrib. & ſalſis propter reſolutionẽ atque exſtimulationem conficiunt, quibus non tantum flatus, ſed & ſcybala (ſtercora indurata) eliciunt & proritant, quod eſt πλᾶν. Pinguia vero cum accedunt & mellita, certo conſilio fit, illa propter emollitionem & conglutinationem, hæc propter abſterſionẽ adiiciuntur. Quapropter adulteri, iam raphanizati cinereque commorſi, atq; ita εὐρύπρωκτοι, & cito & expedite pederent.

Problematum de crepitu ventris diebus canicularibus cum animi tum exercitationis iocoſæ, ſed literatæ gratia ſtudioſis auditoribus propoſitorum finis.

Lepidum in quendam pedum ſtrepitu crepitum ventris diſſimulantem.

Raſus

Rasus erat memini, cuius postica per anum,
Fistula spirabat semper odore graui.
Forsan vt accubuit sumtur' prādia, vētris
Mittebat crassum, crassa saburra sonū.
At ne quis missum posset deprehendere bombum,
En strepitum moto concitat ipse pede.
Tūc, strepitus nō est crepitus, ridēte sub ore,
Increpitans vētos, Cœnobiarcha refert.

Appendicula.

Nondū, inquit Eras. Roterd. quenquā reperi cui suus bene oleret. Quæritur itaq;, quomodo intelligēdum sit illud e vulgo fere haustum: Suus cuiq; crepitus bene olet. Resp. Intelligendum comparate, vt sentētia sit, homines vehementius abhorrere ab alieno crepitu omninoq; ab alienis excremētis, quam a suis. Græcum magis hyperbolicū est, ἕκαστος αὐτοῦ τὸ βδέμα μήλου γλυκίον ἡγεῖται, id est, vnusquisque suū ipsius crepitum malo suauiorem existimat. Facit hoc φιλαυτία. Affine huic est βδέειν λιβανωτὸν pedere thus quod etiam prouerbii speciem habet.

RODOLPHI GOCKLENII DE RISV ET RIDICVLO.

Præfatio ad Lectorem.

MAGNA cum iucunditate coniuncta est lectis ingeniis speculatio de caussis risus, etsi difficilis illa quidem, adeo, vt solide doctis ὑπερκαταγέλαστος videri merito possim, si perfectam de iis explicationē mihi tribuerem. Tentabo tamen, an proximas vel affines saltem vero minimeque ridiculas in medium afferre queam, & in re alicubi controuersa tantum primas iactabo hastas, vt cum oratore loquar. De quibus tibi, simplex & candide lector, iudicium permitto, simul orans, vt sicubi tibi non satisfecero, libere vel coram, vel per literas me moneas, vel etiam castiges, sed amice, hoc est, sine conuiciis, quæ aduersariis meis sunt iuge epulum. Indigner hic an rideam? Subrideo. Non deerunt forsitan, qui me ex Iure manu confectum vocare non dubitauerint, quod Professor Logicus & Ethicus ve-

lut in

lut in agrum alienum inuolauerim, aut physicã syluã occupauerim, in alieno choro pedem posuerim. Hi a me hoc responsi habeãt, me hic a Philosophi psona in hac mea ætate prouecta nihil alienũ facere: studium & professionem meam per multos annos physicam fuisse, nec satis mihi videri, logicum me esse docẽtem sed etiam operantem, itaque logicæ decreta, etiam ad physica applicantem, præsertim cum publicæ disputationes hoc a me efflagitent.

I.

Cum ἀγέλαστοι dicantur sine splene, & an splen sit sedes & origo risus & quomodo ridere faciat?

Quibus magnus est splen, propensiores ac proniores esse in risum & intemperantius ridere putantur. Vnde Persius. Sed cum petulanti splene cachinno, id est, in risum profusus. Ac qui nunquam vel rarissime rident, prouerbio dicuntur, sine splene seu liene. Huc facit illud peruulgatũ, cor

Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram.

Aliter, *vel continet iras*, ſed res redit eodem.

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Sed quomodo ſplene ridemus, quomodo a ſplene riſus eſſe poteſt, cum ſplen neque vera riſus ſedes ſit, neque verum & proprium organon: cum, vt nigrante ſeu fuſca carne conſtat, ſic etiam ſucci melancholici, qui triſtitiæ cauſſa eſt, receptaculum ſit? Reſpon. Quod vulgo iactatur: ſplen ridere facit, id de cauſſa remotiore accipiendum eſſe, & inde exſtitiſſe, quod cum ſplen ſit melancholiæ in corpore receptaculum, ſi ab illa, vt triſtitiæ adiuuante cauſſa bene defæcatus ſanguis fuerit, corpus reddatur idoneum ad hilaritatẽ, lætitiam & riſum. Splen ridere facit, id eſt, bene fæcatus a melãcholia diſponit nos magis ad riſum, ſeu ſplen ridere facit, ſcilicet, quatenus ſegregat feces a ſanguine, vt reliqua maſſa ſit lucidior & purior.

Vtrum

II.

Vtrum diaphragma, an cor sit sedes & primum principium risus.

Risus, qui ex locorum ad præcordia seu septum transuersum titillatione oritur, risus sedem & organon prodere cogitantibus videtur. Et quidem Plinius 2. natural. histor cap. 37. de septo transuerso seu diaphragmate asseueranter pronuntiat. Sed dare hoc simpliciter nõ possumus. Rationes igitur Plinii perpendamus. Prima est. Risus est dilatatio orta ex acriore sensu neruorum. Septum autẽ transuersum est neruosum. Ergo risus est dilatatio septi transuersi. Propositio maior nõ est generaliter vera, id est, quidã risus a neruis & sensu horum exsistit, quidam non, sicut voluptas alias ex sensibus interioribus commouetur, alias de exteriorib. quorum instrumẽta sunt nerui, & omnino affectus alii ex contactu & sensibus externis, alii sine contactu de cordis motu exsistunt. A particulari igitur ad vniuersale illatio nulla est. Risus improprie dicti qui ex titillatione

oritur ὄργανον & ſedes eſt diaphragma: Ergo omnis riſus proprie dicti ſeu primo modo ſumti.

Secunda. Cũ attrectamus aliquem ſub præcordiis, ſtatim ridet: Et gladiatores vulnerato diaphragmate cũ riſu ſunt mortui, ſicut & ante Plin. ſcripſit Ariſtoteles 3. de partibus, perhiberi hoc quod in vulneribus in bello ad loca prȩcordiis vicina riſus acciderit vulneratis: Ergo riſus in hac corporis parte eſt. Reſp. Concedo concluſionem, ſed de aliquo tantum riſu, ſeu vna riſus ſpecie: Poteſt & reſponderi, riſum qui ex attractione partium vicinarũ præcordiis ſit, cum a ratione non proficiſcatur, & ἀπροαίρετος ſit, proprie riſum non eſſe, ſed calcitrationis, repugnationis & clamoris eius nõ diſſimilem, qui a beſtiis vſurpatur, quando in locis inſuetis contrectãtur. Michael Epheſius, Peripateticus Philoſophus riſum primũ habere ſedem in corde ſentit, & quidem id ſic probat: Duo organa cum ſint, quæ citra noſtræ voluntatis impe-

imperium mouentur teste Aristotele in lib. de motu animal. Cor & verenda: & risus sit motus inuolũtarius, hoc est, nostræ voluntatis imperio nõ subiaceat, eum ab altero modo dictorum organorum pendere consentaneum est: risum autem pendere a verendorum motu non sine risu dici potest: relinquitur igitur, vt cordis motum sequatur. Hanc sententiam approbat Celsus Mancinius Rauennas. Et mihi videtur ceteris omnibus probabilior de maxime proprie dicto risu, vt hic risus sit cordis voluptate affecti dilatatio, ad quem motum statim sequatur motus septi transuersi & rictus faciei. Istud tamen interim, non admodum probo, quod risus a Mancinio dicitur inuoluntarius: Ab hac sententia re ipsa non discrepat (sed fortasse verbis duntaxat) sententia optimi mei quondam longe excellentissimi præceptoris in Academia Wittenbergensi Esromi, quem quidẽ auctorem iterum adduco, vt Philosophum minime eru-

dum. Eius verba hæc ſunt. In riſu vero cor primum afficitur, & poſtea ex cordis motu etiã diaphragma, cum ex animi potius quam corporis voluptate riſus exſiſtere videatur. Cor n. ſine cõtactu concipere affectum poteſt, diaphragma nõ item, ſed ex cordis motu & affectione ipſum etiam ſympathia quadã occulta & manifeſtis de cauſſis afficitur, & per ſe & primo in riſu nunquam, niſi in titillatione vicinarũ partium: tum enim diaphragma primũ, & poſtea de hoc cor moueri conſentaneum eſt. Diaphragmatis aũt affectionibus et cor affici, cum alia docẽt, tum lipothymia ſeu ſyncope etiam ſtomachica, quæ fit affecta καρδίᾳ, id eſt, oſculo ventriculi & cõpreſſo diaphragmate.

III.

An cum in titillatione διάνοια *moueatur* παρὰ *&* παρ' αἴσθησιν *riſus ſit quem titillatio efficit.*

Verborum hic potius quam rei diſſenſio eſt. Quidam volunt, vt riſus ſolius eſt hominis, ſic omnem riſum a ratione

tione proficisci, & voluptatis aliquid habere: Risus igitur, qui ex titillatione oritur, cum sit coactus & voluptatis nihil habeat præter oris distensionem & clamorẽ, potius risui similem, quam risum habẽdum esse. Exponam hanc sententiam verbis Philosophi non ex triuio vel aliquo circulo a me arrepti Esromi Rudigeri Papeperg. &c. Risus, qui est ex titillatione risus proprie non est. Neq; enim deductio oris ἀπεργαίρετος risus etiam est aut recte appellari põt, cũ & in oscitatione hæc accidat, & venenatæ herbæ in Sardinia eorũ, quos interficiunt ora sic diducant, vt ridentium species repræsentetur, vnde Prouerbiũ exstat de risu Sardonio: sc. qui ex præcordiorum vulnere moriuntur, eorũ os si diducitur, risus hic minime fuerit, cũ non tm̃ sit voluptatis expers, sed mortis præsentis symptoma. Sed Francis. Vallesius risum latius accipiẽs verũ risum esse asserit, & titillationem, si moderata sit, prorsus nihil voluptatis habere, dicendum non videtur.

IIII.

An & cur soli homini conueniat titillatio?

Titillationes seu γαργαλισμοὺς Aristoteles tribuit soli homini, eosque accidere ei dicit propter cutis teneritatem (intellige simul neruorum sensum acerrimum & præstantissimũ) & quod risus hominis proprius sit, & homo solus omnium animantiũ rideat. Vnde fortasse hoc exstitit: quod qui non sunt γαργαλιστικοὶ, id est, quorum corpora non sunt exposita titillationibus, minus ἐμπαθεῖς ac inhumani & nõ blandi videntur. Et secundum hæc in equis & aliis quibusdam animantibus brutis non erit γαργαλισμὸς seu titillatio nominanda, sed ἀήθεια potius quædã, id est, insolentia.

V.

Cur nullus possit seipse titillare?

Titillatio risus species esse videtur, etsi non nesciam maximis quibusdam Philosophis placere verum risum non esse,

esse, sed huic similem. Alii ita loquuntur, vt dicant, ex titillatu in nobis excitari risum, sed hæc nunc relinquentes in medio, quærimus, cur nemo possit seipsum titillare? Respondit Vallesius lib. 5. controuersiarum cap. 9. Titillatio fit ex fraudulento & clãdestino tactu seu attrectatione partium acerrimi sensus, ad quas musculorũ sunt capita. Eæ sentiunt voluptatem ex tactu velut delinitis carneis partibus, quę repente & latenter accedens transfundit gaudium ad cor cum quadam nouitatis specie, atque ita risus fit. At nullus tactus potest sibi ipsi occulte seu latenter occurrere. Nemo igitur potest seipse titillare. Adhunc enim syllogismum eius disputatio recte reuocatur, sed nec ratio, nec alia hic mihi satis faciunt. Primũ enim sæpe etiam obseruantes attrectationem permouentur, nec non diu tacti. Imo etiam quidam antequam tangãtur, sola ex imaginatione, Scalig. exerc. 317. sect. 5. sed hæc Scaligeri etsi vera sunt, tamen non ha-

bent, in quo, quod ad præſentem qui-dem quæſtionem attinet, acquieſcamus. Non enim affert διότι ſeu cauſſam quare nemo ſe titillet. Deinde ex titillatione ortus riſus, præſertim, qui eſt vehementior, quomodo voluptatem proprie dictam habeat, non video, cum in quibuſdam corporis partibus dolorem potius aut moleſtiam quam riſum afferat: in locis autem circum præcordia riſum afferat, ſed qui aut reprimi poteſt, aut minus ſuauis eſt, aut ſpiritum etiam excludere & ſuffocare poteſt, vt non minus ridens, tum aliquis mori poſſit, quam cum præcordia vulnerantur, de quo ſuo loco diximus. Si igitur ex me aliquis quærat, cur nemo ſe titillet, nihil habeo reſpondere, niſi hoc, quod attrectatio hic propter teneritatem & ſubtilitatem cutis grata non ſit, ſed moleſtiam præſentem habeat (vnde titillatio oris tantam diſtenſio ἀπροαίρετος, ſeu inuoluntaria, & clamor potius riſui ſimilis quam riſus quibuſdam habetur. Si quis rationem

nem reddiderit meliorem ei habiturus ſum gratiam. Qui τὸ ἐξονυχίζειν, id eſt, ad vnguem explorare omnia, aliis me doctioribus relinquo.

VI.

An in omni titillatione calor excitetur in præcordiis.

Attrectatis plantis pedum oriri riſum calore ex motu excitato, & in ſeptum tranſuerſum trãsfuſo, omninoque omnẽ riſum, qui a titillatu eſt, calfactu ſepti fieri veriſimiliter ſtatuitur. Sed interim dubiũ alicui ſuboriri põt, an tãtus calor poſſit attrectatis pedum plantis in præcordiis excitari, ſicut hoc ſubiicit nobis Valeſius lib. 5. ſuarũ controuerſiarum, nam ſi vicinia ſentientis partis facit, vt labra titillẽtur: Longinquitas faciet, vt plantæ pedum non titillẽtur. At antecedens Ariſtotelis eſt ſect. 35. probl. 7. Præcordia enim ab ore & neruis muſculos huius cõuenientib. abſunt propius, vel potius his ſunt coniunctiora: ideo a præcordiis riſus

esse potest, & a præcordiis oris diductionem in risu commoueri facile explicari potest, verisimile ergo est consequens. Sentit itaque Vallesius partes quasdã accerrimi sensus, ad quas musculorum sunt capita, ex tactu sentire voluptatem eamque ad cor repente trans fundi, cum partium illarum & cordis mirifica sit consensio.

VII.

Cur in bruta non cadat risus?

Cur bruta non rideant, cum tamen effectus in ea cadat voluptatis, quæsitum est a multis. Alii autem respondent id fieri, quod non cadat in ea admiratio. Alii, quod careant ratione & ab iis tantũ iudicium fiat sensu & phantasia, risus a. proficiscatur a ratione seu anima rationali. Ego si quis caussam ex me quærat simpliciter responderim: Quia bruta destituuntur potentia ridendi, ridere non possunt: ἐνέργεια enim seu actus ante requirit potẽtiam, id est, actus secundus primum.

Cum

VIII.

Cum fatui & stolidi multum rideant, quomodo γελαστικὸν a ratione proficiscatur?

Sicut alia caussa affertur, cur possit aliquid interire vel oriri, & alia, cur aliquid intereat & oriatur: Sic alia caussa est cur homo possit ridere, aut flere, alia cur rideat aut fleat. τὸ γελαστικὸν, seu potentialis risus est a rationali. Sed ridere seu risus actualis potest esse a leuitate, stultitia, vel delirio. Qui temere multum & facillime rident, vel non vel minus recte vtuntur ratione. Itaque risus aliquando rationis quædam dissolutio est, temere ridens, quod forte nunc incidit mihi, & παρέργως huc appono Græcis est ἀχρειόγελως.

IX.

Cur ab vno eodemque obiecto huic homini excutiatur risus, illi nullus? vel huic leuior & moderatior: illi maior & vehementior?

Videas aliquẽ ex obiecta quapiam

ſpecie riſu pene emori, alios ſubridere, nonnullos prorſus nihil moueri; Sic non pariter riſum in comœdia hiſtrio actione ſua, hoc eſt, pronuntiatione & ὑποκρίσει ſeu geſtu in omnib. ſpectatoribus excitat. Craſſum aiũt ſemel in omni vita riſiſſe (vnde ἀγέλαστος dictus) cum aſinũ vidiſſet carduos comedentem, de quo quidem feſtiue dictum: ſimilem habẽt labra lactucam. Diuerſitatis huius cauſſa eſt, vel in diuerſitate cogitationis, imaginationis & ὑπολήψεων, id eſt, opinionum & conceptionum: poteſt enim tibi aliquid videri ridiculũ, quod alii nõ eſt, poteſt aliquid videri tibi valde ridiculum, quod mihi eſt minus ridiculũ. Sæpe cachinnãtur, in quorum animis vincit ſpecies ridiculi: vel in aſſuefactione diuturna ad ἀπάθειαν vel μετριοπάθειαν, & riſus repreſſionẽ, aut moderationẽ, vel in diuerſo temperamento. Ridẽt ſcilicet facillime illi q ſunt hilariores: vt ſpirituum copia referti: vt qui vino vtuntur generoſo, bilioſi & ſanguinei, id eſt, qui abundant ſanguine. Caloris n. ſangui-
nis

nis & spirituũ copia, cor, q in risu afficit & cōmouetur, facilius dilatatur. Cōtra tristiores, vt exsangues & temperationis frigidæ ac siccæ, min⁹ sunt ꝓcliues ad risum ꝓp caloris inopiã & sanguinis ac spirituum penuriã. Medii inter hos mediocriter ridēt, vel in peculiari proprietate indiuiduali, sicut alias multa, q̃ in natura fiũt, ad ἰδιοσυγκρασίαν & occultas ꝓprietates referimus, vel in vi, quã nobis ipsi facimus, interdũ in cachinnum prorumpimus, cũ risum seu motum cordis, diaphragmatis & musculi, qui est ad oris latera, in re noua valde turpi cohibere volumus grauitatis cã. Vincit n. species rei turpis insolentis, cũ motus ille cordis non omnino obediat rationi, q̃a est quodam̃odo ἀκύσιος & naturalis. Itaque etsi nos ad aliquod temporis spatium vincamus, & cõpescamus motum istum, tñ quia perdurat species & tandē victoriam obtinet, dum nos risum retinere connitimur superata retētrice virtute, q̃ thoracem seu pectus faciei musculos & oculos retinebat, ne mouerētur, maiore resolu-

tione ſpirituum indecore prorumpimus volẽtes nolentes in cachinnum. Aliqui etiã ex terroris oblati memoria riſum vſurpare non potuerũt. Aliquibus, vt non poſſent ridere, accidit a κακοτεχνία magica. Ex prima cauſſa & tertia poteſt peti ratio quæſtionis: cur fatui plus rideant hominibus intelligentibus, & pueri plus viris, nempe quia leuioribus de cauſſis obiectis reb. magis afficiuntur, plus eis adiuuantur ob ignorantiam ſuam, & ſunt ingenio leuiore leichtſinnig / ſic pueris & mulierculis facilius fluunt lacrymę (& his quidem ſæpe fictæ) quia ſunt molliores & humidiores natura.

X.

Cur, cum vi iucundæ affectionis ridere ſoleamus, aliquando cachinnantes lachrimas emittamus?

Sæpe fit vt dum riſum cohibere volumus, relaxata tandem retẽtrice virtute victrice ita cachinnemur, vt etiam lachrymemur. Qui vero fit iſtud?

Annon ridentes sumus voluptate & lętitia affecti? Annon a Platone in Philebo τὸ γελᾶν ἡδονὴ esse docetur? Et contra, an non lacrumæ sunt tristitiæ, non lætitiæ signum vel σύμπτωμα? (Risu lætitiam, lacrumis expromo dolorem.) Hic primum tenendum est per diuersum modum actionis vnum effectum esse posse a duabus contrariis caussis: & lacrumas ob mæstitiam, & ob lætitiam suboriri posse, sed diuerso modo. In mæstitia excremētum seorsum sincerū per oculos egreditur per modum compressionis. In lætitia per modum dilatationis, sicut etiā vi iræ perseuerantis, sicut docet Hieronymus Cappiuaccius libr. 1. de aff. oculorum capit. 41. de Epiphora, Alexander Aphrodiseus sect. 1. Probl. part. 29. idem sensit, & hoc perspicue explicauit. In dolore meatus refrigerantur, & meatuum spissitudine humor comprimitur, hic compressus ad oculos impellitur, ab illis manat & per illos stillat in lacrumas. In lætitia vero, quia laxitat e

meatuum humor effunditur. Deinde ſciendum, in riſu adeo vehementi vim & corporis concuſſionem exprimere ſeu excutere potius lacrumas ob concalefactionem cerebri & cranii, quæ ab effuſa voluptate prouenit: Sicut generatim voluptas, cuius riſus maxime proprius expers non eſt, & qui eum commouet, Ariſtoteli θερμασία quædam eſt, & concalefactio, aut certe calor hanc (voluptatem dici) ſequitur, vt ſit caloris efficiens. Frigida enim omnia, qua ſunt talia, voluptatis efficiētia non ſunt, ſed quia calorē nimium mitigāt, grata fieri poſſunt, & ſuapte natura cōſtringunt, ideoque ii effectus a frigidis cientur ſeu commouentur, quib. tam organa ſenſuum, quam cor ipſum & corpus ſimul vniuerſum cum omnib. partibus ſuis conſtringitur. Quid quæris? Riſus immoderatus lacrymarum cauſſa eſt: quia immoderata concuſſione thoracis, præcordiorum, oculorum & cerebri, incaleſcit cerebrū, vnde humores attenuati fluunt.

XI.

An vere, hoc est re factoq; Christianis risus conueniat.

Christianæ Ethicæ hæc quæstio est, cuius occasionem dederunt ii, qui omnem risum e vita credentium sustulerunt. Quid ita? Primo, Christus, aiūt, condemnat in hoc seculo ridentes. Quo referri pōt illud. Væ tibi ridenti, quia mox post gaudia flebis. Secundo, magnæ multitudinis hominū in peccatis aduersus Deum pereuntiū consideratio risum reprimere & dolorem luctumq; potius commouere debet. Tertio, Christiani hominis psona grauissima est. Quarto, Christi actio debet esse nostra institutio & instructio. Christus n. propositus est nobis vt donū & exemplū. Lacrymasse aūt Christus legitur. Risisse non legitur. Sed certum est aliquem risum sine peccato a vere Christianis habita ratione loci & temporis vsurpari posse, cum ab eis & aliqua hilaritas & vrbanitas, & iocus liberalis non sit alienus, quibuscum aliquis interdum risus cōiunctus

eſt, ex obiectis rationibus contrariis prima nulla eſt, quia τὸ ῥητὸν Chriſti male intellectum eſt. Vetat enim tantum ſecuritatē Epicuream & ἐπιχαιρεκακίαν, id eſt gaudium diabolicum de piorum malis. Nec ſecunda ſufficiens eſt, conſideratio enim interitus plurimorum hominum crebra quædam eſſe, ſed & ſua interualla habere debet, vt aliquādo animum ab ea abducere, & velut relaxare liceat. Etſi rationi huic locus eſſet eo omnis animi exhilaratio, quæ in priuatis & publicis congreſſibus fieri poteſt, tolleretur, tollerētur nuptialia conuiuia ad hilaritatem apparata adornataque. Tertia ratio valeret, ſi omnis riſus eſſet leuitatis, ſeu non grauitatis indicium. Non hoc. Vt fortes & generoſi viri poſſunt lacrumari quatenus ſunt ἐμπαθεῖς & propenſi ad miſericordiam, ſic graues viri poſſunt ridere, quatenus grauitas eorum humanitatis condimento temperata & velut ſale aſperſa eſt. Quarto: Primo non valet negate ab auctoritate. Chriſtus non

non legitur risisse, ergo nunquam risit: Secundo, Christus ipse etiam vt organa affectuum habuit, sic necessarios in natura humana affectus (sed non contaminatos peccato) & virtutum ministros & asseclas, vt verus homo sensit. Ergo nō est verisimile cum nunquam risisse. Potuit etiā Christus a risu sponte in sua vita abstinere, quod alios etiam quosdam homines fecisse legimus. Arbitrii hoc ipsum est, non necessitatis aut legis. Nō dicam nunc, quod Christus homo fuerit singularis prærogatiuæ & conditionis: cuius vita & actio quidem ad imitandum, æmulandum, re exprimendum nobis non semper quod ad speciem, sed aliquando etiam quod ad genus tantum attinet, proposita est. Cachinni interim omnes merito in reprehensionem veniunt, nec sapientē, nec Christianum decēt, sicut etiā sarcasmi, mycterismi, sal Momi, omnisque βωμολοχία & scurrilitas, omnis iocus & risus illiberalis. Verū obiiciat forte aliquis, ab Aposto-

lo εὐτραπελίαν, quæ Philoſophis eſt vrbanitas, improbari. Itaq; ẽt omnia ioca & riſus. Hic reſpondendũ ex Ariſt. Ethicis Nicomachic. vocẽ εὐτραπελίας eſſe ambiguam, & interdũ quidem accipi pro vrbanitate ſeu feſtiuitate, quæ virtus eſt media inter ἀγροικίαν, id eſt, ruſticitatem (ſeu moroſitatẽ, ſeu σκληρότητα, id eſt, morum duritiẽ) & βωμολοχίαν ſeu ſcurrilitatem: interdũ pro ipſo vitio ſcurrilitatis, & ita accipi ab Apoſtolo 5. ad Epheſ. imo interdum etiam a Philoſophis: quod plerîq; dum vrbani & feſtiui volunt videri, in iocãdo excedunt modum, & efficiuntur ſcurræ, quando nimirum ioci ludi & ſales eorum coniuncti ſunt cum aliqua turpitudine aut contumelia.

XII.

An infantes ſint ἀγέλαστοι dicendi ante quadrageſimum diem, & an ante hunc non ridere eos ſit vniuerſe verum?

Puerulis ante quadrageſimũ diem riſum non eſſe conceſſum, ait Plinius in proœm. 7. hiſtor. natur. Dato hoc, non

non tamen infans debet dici ἀγέλαστος, quamuis non rideat ante hoc tempus. In priuantibus enim non tantum subiecti (natura δεκτικοῦ) ratio habetur, sed etiam temporis a natura præfiniti. Catulus modo natus nō dicitur cœcus quamuis non videat, sed cum nō videt eo tempore, quo debet videre, dicitur cœcus. Vt igitur catulos ante 9. diem cœcos, videre, & infantē ante tempus dentitionis vocare νωδόν, alienū est ab ἀκειβολογίᾳ sermonis Philosophici, sic ante iustum tempus risus infantulū vocare ἀγέλαστον est ἀφιλόσοφον, sicut & ἀθεόλογον est eum vocare infidelē στερητικῶς antequam fidei capax sit per Dei διαταγὴν & οἰκονομίαν seu τάξιν ἱερατικὴν. Sed quod Plinius ait catholicum esse, negare experientia videtur. Fuluii Paciani Iurisconsi. excellentiss. filiolus Marianus octauo a natiuitate die visus est hilari vultu ridere, quem quidē risum pater præcocē vocat, & cunctis admirationi fuisse scribit 2. de prob. cap 14. Et hoc παρὰ φύσιν est, quod Zoroaster primus

Bactrianorum Rex traditur in ortu ſuo riſiſſe, cum aliorum naſcentium vox prima ſit vagitus, portentoſus hic riſus ex eo etiam fuiſſe iudicatur, quod magicæ artis primus fuerit inuentor: vt vt ſit, fuit vir (quod obiter aſpergo) maximi ingenii, & primus artes ingenuas indagauit, eaſque in ſeptem columnis lateritiis & totidem lapideis exſculpſit.

XIII.

Cur ſolus homo ridet, non bos, non canis, &c.

Etſi ſolus homo non gaudet, gaudium enim ſicut & aliæ perturbationes ſeu affectus in bruta etiam cadũt, quia ſunt notiones appetẽtis ſenſuum facultatis, nec non ſpirituum cordis ab obiecto, quod per vim imaginatricem vel iucundum, vel moleſtum eſt ob doloris fugam & voluptatis fruitionẽ: Tamen ſolus homo ridet, ſicut contra ſolus etiam lacrumari proprie a doctiſſimis ſtatuitur. Quæritur igitur, cur riſus ita

ſus ita ſit naturalis homini, vt ei proprius ſit. Prima huius rei cauſſa eſt petenda a forma hominis & eſſentiali proprietate, quia anima rationalis a qua γελαστικὸν, id eſt, potentia ridēdi fluit, ſolius hominis eſt. Solius igitur quoque hominis eſt ipſa facultas ridendi. Itaq; & ſolius hominis eſt actus ridendi. Sic forma indiuiduans canis, quæ ſoli cani conuenit, eſt cauſſa potētiæ latrandi, quæ etiam ſolius canis eſt, itaque & ipſe latrandi actus. Adde, quod tale quippiam eſſe, vt excitet riſum, intellectus iudicium eſt, vt eſſe aliquid deforme & admirabile intellectus iudicat, non ſufficit hic ſenſus & imaginatio. Sed iſtud iudicium bruta non habent. Riſus igitur in bruta non cadit. Ex Hieronymo Fracoſtorio libr. de Sympathia hæc ratio colligi poteſt.

Riſus eſt ſignum & ſoboles duarum paſſionum, gaudii, (quanquam non cuiuslibet) & admirationis. At ſolius hominis eſt admiratio: propter ratiocinationem. Tantum enim abeſt, vt

admirentur bruta, vt etiã obiecto rerum nouarũ, quæ nobis miræ ſunt, terreantur, terror aũt non mouet, ſed cohibet riſum. Ergo ſolus homo ridet.

XIIII.

Cur, cum riſus in lapidem non cadat, πέτρα, auctore Zenodoto, dicatur ἀγέλαςος, hoc eſt irreſibile ſaxum, vt vertit Eraſmus, vel luctuoſum?

Nemo eſt, qui neſciat lapidem non poſſe dici ἀγέλαςον & luctuoſum, cũ riſus & luctus capax lapis nõ ſit. Prouerbialiter tñ ita vocatur homo moroſus, ſeuerus, iniucũdus, nunquã non mœſto vultu tetricus, & qui nunquã vel raro cernitur ridere. Nã olim oſtẽdebatur ſaxum quoddã in Attica, in quo ferebatur conſediſſe Ceres cũ filiã Proſerpinã a Plutone raptã, quæreret. Porro cum Eleuſinẽ perueniſſet, nõ inuenta filia, ibi triſtis in ſaxo quodã inſedit, q ob eam ipſam cauſſam ἀγέλαςον appellabant. Hæc ὑπαλλαγή, ſeu metonymia eſt ſubiecti in voce lapis ſeu ſaxum. Saxum

xum, id est, in saxo sedẽs vt Ceres. Porro accipitur hic irrisibilis (quæ vox parũ Latina videtur) actiue vt lacrymabilis Erasmo dicitur, q facile lacrymať. ἀγαθοὶ δ' ἀειδάκρυες ἄνδρες (quod Homericum est) id est, boni viri sunt lacrymabiles, facile commouentur ad misericordiã, sed hoc fortasse ἴσως οὐδὲ πάρεργον.

X V.

An nihil aliud censeri debeat ridiculum, quam malum?

Antequam ad hanc quæstionem respondeam, occasionem eius exponam. Plato 5. de Republ. statuit mulieribus cum viris debere esse communia omnia πολιτικῆς διοικήσεως officia, vt mulieres videlicet peræque rempublicam administrent, ius dicant, bella gerant, proindeq; eodẽ modo instituanť. Inter ἐνστάσεις aũt, quas videt sibi posse obiici, recẽset hanc primã. Ridiculũ fore, si mulieres cũ viris in publicũ prodeãt nudę, sicut in gymnasticis certaminib. oportet. Ac respõd. Nouũ id qdẽ atq; insolens, nõ tñ ridiculũ: cũ nihil aliud

censeri debeat γελοῖον (ridiculum) quam quod κακὸν (malum) est, ἀήθειαν (insolentiam) illam risu emolliri, quod exemplo Reipublicæ Lacedæmoniæ ostenditur, in qua nudæ certabãt mulieres. Ἔστασις hæc cum responsione his verbis a Platone concepta est & explicata. Quid vero in ipsis maxime ridiculum cernis? Nonne illud videlicet, si nudas mulieres conspecturus sis in palæstra cum viris certãtes, nõ modo iuuenes, sed vetulas quoque? Quemadmodum senes viros in gymnasiis, si quãdo certandi cupiditas illorum animos incessat, licet rugoso sint corpore & vieto, ob eamque rem oculos spectantium offendant? Certe per Iouem, inquit, Ridiculum enim illud, vt sunt nostri mores videretur. Nos igitur quandoquidem hunc sermonem aggressi sumus, non pertimiscenda sunt politiorum hominum dicteria, quæcunque tandem cõminisci illi possunt aduersus huiusmodi mutationem, quam circa gymnasia & musicam inducimus,

neque

neque vero minus circa ipſam amorum conformationem, equeſtriſque facultatis vſum. Recte inquis, ais. Ergo poſtquam ad dicendũ effracta via eſt, age, ad duram illam & inſolentem legem explicandam pergamus, rogantes iſtos ne ſolito more nugentur, ſed ſeria cogitent, & ſum̃oneamus, haud longũ præteriiſſe tempus, ex quo Græcis turpia & ridicula videbantur, quæ nunc multis barbaris quoque videntur: Nudos ſcilicet ſpectare viros, & quando primum exercitationes huiuſmodi inſtituerũt, primum quidem Cretenſes, tum Lacedæmonii, licebat vrbanis & facetis viris, inſolentem illum nouumque morem dicteriis traducere nonne ita cenſes? Equidem. Verum poſtquam, opinor, vſus docuit melius eſſe in exercitationibus nudari, quam operto eſſe corpore: tunc vero euenit, vt & omne illud, quod in oculis obuerſabatur, ridiculum efflueret: quandoquidem id optimum experientia fuiſſet comprobatũ: ex quo

perſpicuum eſt, inanem eſſe illum hominem, qui ridiculũ quicquã aliud eſſe arbitratur, quam id q; malum eſt. In hac diſputatione non eſt dubium Platonẽ παραλογίζειν. Primo enim inſolens ille habitus mulierum quem ſtatuit ἀδιάφορον, id eſt, nec p ſe malũ, nec bonum, reuera malus eſt. Peccat n. cõtra καλὸν (honeſtatẽ) ac proinde contra legem naturæ quæ eam finibus quibuſdam & cancellis verecundiæ circumſcripſit atque circumvallauit? Nec valet exemplum Lacedæmoniorum ad imitationẽ, cum ipſum ſit etiã eo ipſo reprehendendũ, q; aduerſus honeſtatem ſine qua rectum nihil eſſe poteſt, peccet, vt nunc non dicam nõ exemplis, ſed bonis legibus viui debere, & vt falſitatis, ſic & prauitatis nullã eſſe præſcriptionem. Hinc naſcitur diſtinctio: Nõ omnis ἀήθεια ſimpliciter damnanda eſt: cum videlicet probabilis & cõmoda de ea ratio reddi poteſt: At quędam nempe, ſi recto & honeſto repugnet, vt pernicioſa & mala reiiçienda eſt.

eſt. Deinde etſi ridiculum plerunque ſit malum, ſolemus enim ridere, quod res ſtulte & perperam fiat: non tamen hoc eſt perpetuum. Interdum enim iocando ſuauiſcule ridemus obiecto ridiculo non malo. Ridemus etiam, aliquando fieri aliquid παρὰ τὸ ἔθος, ſeu præter conſuetudinē noſtram, quod malum non eſt: Et quoties feſtiue dictis, a quibus abeſt obſcœnitas, arridemus ſubridentes?

XVI.

Qua de cauſſa Melancholicorum riſus rarior ille quidem, ſed immoderatus eſſe ſolet?

Certum eſt: ſicut iracundia non eſt in felle, cuius conceptaculum eſt in folliculo cauæ parti hepatis adnaſcenti: Ita riſum & facultatem ridendi etiam in ſplene nō eſſe. Splen enim tm̄ deſtinatus eſt a natura ad recipiendum ab hepate melancholicū ſanguinem & excrementū: Melancholicus

autem humor risui, sicut gaudio inimicus est. Risus igitur in ea parte non esse potest, in qua hic humor abundat. Vnde igitur est, quod melancholicos effusius ridere contingit? Responsio vera ad hāc quæstionem hæc est: Melancholici seu quorum sanguis valde melancholicus & crassus est, vt rariuscule rident, quia sunt natura frigidiores, ita incalescente humore melancholico, si quando in risum erumpũt, in hoc sæpiuscule sunt nimii seu solent modum excedere, ob iam dictam calefactionem aduentitiam.

XVII.

Cur qui effuse rident & petulanter, iis vires corporis fiunt imbecilliores?

Qui cachinnantur infirmantur: quia in vehementi risu calor effunditur, & ex consequēti spiritus resoluuntur. Hoc adeo verum, vt etiam quandoque lethalis sit risus effusior. Zeuxis pictor deformissimā spectans quādam picturam, solutus in risum efflasse animam

animam ſcribitur. Palæmon Philoſophus cum aſinum ad ſatietatem ficubus paſtum vidiſſet in tantum riſum ſolutus memoratur ob illam nouitatem & defomitatem belluinam, vt exſpirauerit. Nam ob deformitatem ac nouitatem rerum ſpectatarum vel auditarum vel lectarum ſępe riſum commoueri dictum iam ante eſt, itaq; modice ac hilariter ridendum.

XVIII.

Cur ab vno eodemque obiecto, non ex æquo in omnibus riſus, vel in hoc maior, in illo minor excitatur? ſeu cur ſi ab aliquo proferuntur ridicula, audientes non æqualiter commoueantur ad riſum, cur vnus ridet, alter ſubridet, tertius cachinnatur.

In cauſſa eſt diuerſum tẽperamentum, diuerſa humorũ ſymmetria, diuerſę animorũ διαθέσεις vel ὑπολήψεις. Cachinnantur in quibus viuit turpis ſpecies, qui leu es ſunt facile rident, qui abundant calore & ſpiritibus.

TYPVS DEPOSITIONIS SCHOLASTICÆ HEROICO CARMINE DEscriptus.

Quisquis in officio es miser atq; afflictus, agaso es,
Peccas, seu ducas siue geras asinum.

AVCTORE FRIDERICO WIDEBRANDO.

NE grauis offensus nugis scurrilib. hospes
Quærat in hac cœna quid futilis histrio quæram?
Monstrosi pecoris ductor monstrosior ipse:
Pauca locuturo placidas aduertite mentes.
Nō miser e flamma parasitus fercula capto,
Aut stolidus tantū magnorū docta virorū
Insulsis salibus conuiuia condio Mimus:
Functus ad officii mandato munere vultu
Ludrica dū simulo spectacula, seria tracto,
Rectius ac multi qui ritu temporis huius
Optima ꝑponūt foris, intus pessima cōdunt,
Mel qb. a labris, fel ab alto pectore manat,
Aut qui decipiunt pōpis, minus inq; recessu,

Quam

Quã prima dederãt pmissum frõte tegẽtes,
Ferrea vix p̃stant, dũ sæpius aurea spõdent,
Tecta, sub hac etiam latitat sapientia veste.
Scilicet hæ laruæ cornutaq; mõstra feroces
Designant animos effrenaq; colla Iuuentæ.
Qua tamẽ ad frugẽ possint ratione reduci,
Vt domiti sapiãt & munera debita p̃stent.
Insipiens Iuuenis ludo ferulaq; relicta,
Pulpita cũ tiro contẽdit ad alta scholarum,
Multa malis secũ contagia moribus affert,
Cæcus, ineptus, iners, stolidus, temerarius,
audax,
Et tamẽ impatiẽs & recta monentib. asper:
Contemtor legũ, sciolus quẽ plurimus vrget
Fastus, & inflati persuasio turgida vẽtris.
Iamq; leuans cristas & cõto vertice cirros
Altius ingreditur transuersaq; crura repo-
nens,
Se putat a cunctis spectari & dicier, hic est,
Securus precii, quo constet emenda farina,
Rara auis in templo, raro auditoria cernẽs:
Crebrius interea vini consueta tabernas
Visere cum sociis sitiens, cui pocula semper
Et cithara cordi, chorea, mollesque corollæ,
Aleaq; & rubri chartacea symbola Regis:

Hæc vita est iuuenis, quē mēs secura futuri
Atque ærumnarum mortalis nescia vitæ,
At rapidis contra flammis impulsa volūtas
Raptat in exitium, nisi mox exercita curis
Prima iuuentutis feruorem diluat ætas,
Stultitiamque frequens doctrinæ corrigat
vsus.
Ergo rudimentis opus est, quædamque
reatus
Signa fero iuueni primis adhibenda sub an-
nis,
Vt qui ceu Phaeton conceperat æthera mēte,
Iamq́; ferebatur pronis effusus habenis
Arduus, elatus, semper sublimia spirans,
Depositus longeq́; gradu inferiore locatus
Serpere discat humi, caudamque remittere
supplex,
Ne volet ante diem nondū crescētibus alis,
Verbis verberibus mentē mutare coactus.
Hic armis opus est, variis opus instru-
mentis,
Huc directa mihi tota est, quam tracto, su-
pellex,
Horrida, materiæ similis, cui forma para-
tur,

Serra

Serra, dolabra, bidens, dens, claua, nouacu-
la, pecten,
Cũ terebra tornus, cũ lima malleus, incus,
Rastraque cum rostris, cum furca & forcipe
forpex,
His ego distortum nodoso robore truncum
Tondeo, tundo, seco, rado, lauo, leuigo, limo,
Scalpo, sculpo, scabo, fodio, tero, torno, tere-
bro,
Diuido, cõpono, frico, dedolo, cudo, recudo,
Si qua iuuante Deo, tã crasso e stipite possim
Fingere Mercurium, & quod curuum est,
ponere rectum.
Durior ista quidem teneris rasura vi-
detur
Filiolis matrum, quam quæ subtilibus istis
Cõueniãt merito dominastris debita: verũ
Hoc tyrociniũ est, hæc sunt præludia tãtum
Alterius longe grauioris nempe palæstræ,
In qua venturis omnes deponimur annis,
Cũ quæ ferre dolet, cogêris plurima ferre.
Tum vero quod nunc pateris, ludumque io-
cumque
Dixeris esse, praut quæ promet adultior æ-
tas.

Hæc leuis & breuis est, & vix dolor vnius hora,
Illa quoad viuis, semper correctio durat,
Mille molesta malis, plagis obnoxia vitæ
Perpetuis, hominumq; gradus extensa per omnes.
Sic tibi Præceptor, si perges improbus esse,
Deponet cristas, iuncturus verbera verbis,
Praua resecturus morum contagia, donec
Exueris agrestem animum, studioque frequenti,
Quis tibi ꝑponet, perdiscas sedulus artes.
Traditus hinc templis, legali voce ministri
Excutiẽda reus dabis abdita viscera cordis,
Occultas animæ iussus Deponere sordes,
Vt mala cognoscas & cognita tollere discas.
His nisi parueris, Deponet cornua carcer,
Lictorumque manus, seu disciplina Magistri
Vltima Carnificis, qui quos deponit, eosdem.
Scandere quo nolint, non raro tollit in altũ:
Quod si quando tibi veniet sapientior atas,
Iamq; aliis iterum præesse iubeberis ipse,

Seu plebi pastor, seu Consul ciuibus olim,
Seu. ominus seruis, vxori siue maritus:
Tum vero centũ venient tibi Depositores,
Qui quæ protuleris, quæ dixeris, omnia carpent,
Qui tibi multiplici curas ratione facessent,
Atque onus officii nunc vi nunc fraude grauabunt.
Nobilis inde tibi, tibi rustic⁹, inde molestus
Ciuis erit, vicinus erit, propriiq; ꝓpinqui.
Nec tibi discipuli parcent qualisq; fuisti
Ipse aliis, tales olim præceptor habebis.
Sin eris Oeconomus, tibi turba domestica serui,
Mille struet fabricas ancilla secuta ministrum,
Et famuli famulorum, & tu famulaberis illis.
Sæuior his autem, nisi caueris, omnib. vxor
Dopositum subiget, cum sceptra domestica sumet
Imperiosa, dicax, mordax, morosa, rebellis,
Quæ lotura caput lixiuia tinget aceto,
Et tersura pilos crepidas pro pectine stringet.

Quisque suos patimur nanos, non Doctor in aula
Depositore caret, non Rex, nō Papa, subinde
Cum Deus ex alta deponat sede potentes:
His ita defunctos tandem in commune sepulchrum
Deponit Vespillo, hæc vltima depositura est.
Hæc & plura puer ritu p̄sente moneris,
Vt ventura statim mentem ad certamina firmans
Quæ restāt placide tolerare pericula discas.
Tu modo Depositus, rerū, quas trado, fidelis
Depositor, fidus quoq; Depositarius esto,
Quæ præuisa notas, minus olim tela nocebunt.
Verbaq; Depositus generis fuge Deponentis,
Siue ea nunc malis communia dicere, totum
Quod fœcunda genus spargant commune per orbem.
Osculor, amplector, reuerenter palpor, euntes
Præstolor, opperior, comitor, comitatus aperta
Fronte verecundor, quoque blandior, alloquor extra.

Gratu-

Gratulor, astipulor, sed mentior, imprecor intus,
AEmulor, indignor, bene dicta calumnior, artes
Commentor, falsóque interpretor atque cauillor.
Despicor, aspernor seniores, conuador illos,
Irascor, stomachor, raptos vlciscor honores.
Criminor, insector, conuicior, inuehor absens,
Quod doluit reminiscor, quod iuuat obliuiscor.
Suffragor Dominis, illis assentor, adulor.
Non patriam miseror, non quicquam largior ægræ,
Non medicor, nõ auxilior, patrocinor autem,
Grator, gratificor reprobis, assentior illis,
His ego conuersor, diuersor & hospitor, illos
Intueor, tueor, nutricor, muneror illos,
Scilicet hos imitor, solus admiror, eorum
Me pede me modulo quoque metior, vtq; vicissim
Gloriola vescar, laudes impertior illis,
Indignos dignor, dignos dedignor honore.

Sit quoniam venor popularemque aucu-
por auram.
Hinc illinc palor, vagor, huc ꝓficiſcor & illic
Ruſticor, aurigor, peregrinor, villicor, illuc,
Pabulor, obſonor, frumẽtor, lignor, aquorq;,
Quãdo profeſſus ibi p̃metior, auguror alta,
Fator, vaticinor, præfatus fata prophetor,
Quin & rethoricor, ratiocinor, argumẽtor,
Et ſecreta profatus auruſpicor atq; poetor.
Omnia percontor, ſecreta expiſcor, odoror,
Sciſcitor & rimor, naſum nidore ſupinor.
Si quid comperior, cito controuerſor, & o-
mnes
Præuertor, iurgor, laudumq́; libidinor æſtu.
Sic reor eſſe aliqd, ſed imaginor illud, opi-
nor,
Arbitror & nugor, fumos modo ructor ina-
nes:
Nam quia cuncta ſequor, nihil aſſequor, or-
dior alta,
Machinor, inſidior, mala molior, impia
conor,
Mirificas fabricas fabricor, ſed quando de-
orſum
Et ſurſum praxes hinc partior inde, repulsã
Cum

Cum risu patior, tristemq́ enitor abortum.
Non cœli numen vereor, non ferior illi,
Legibus aduersor, præuaricor, omnia iura
Transgredior, non morigeror, nõ obsequor
vlli,
Nitor at in vetitũ, refragor vbiq́ reluctor,
Plurima polliceor, stipulor, verbisq́ paciscor
Sed modo ludificor, nihil exsequor, omnia
frustror,
Virtutẽ detestor, abominor, exsecror omnẽ.
Crapulor atq́ epulor, pgræcor, luxuriorq́,
Suspicor, altercor, rixor, post iurgia lymphor
Per fora vociferor, per tecta tumultuor, oẽs
Cum fornace fores demolior atq́ fenestras,
Bellor, digladior, grassor, debacchor in oẽs,
,, Prælior & velitor, cunctis interminor
arma.
Cũ percis stabulor, sed cũ mane expergiscor,
Pãdiculor, iẽtor, satur oscitor, ergo vicissim
Exspatior, iaculor, rursusq́ meridior, inde
Fabulor & ioculor, modulor, iocor atque ca-
chinnor,
Cum fatuis fatuor, fateor totusq́ fatiscor.
In studiis ita regredior, quia namq́ taber-
nas.

Demoror, ingenium remoror, mox nictor
ocellis,
Nitor & annitor, non somno rite renitor,
Tristis & auersor cum Prisci cōtuor anum.
Conuiuor, lurcor magis, helluor atque
popinor,
Quodq́; referre pudet (sed deprecor auribus
illud,
O scelus o mores) lenocinor & meretricor,
Suauior, ancillor, quin mœchor, adulteror,
imo
Cum lupor & scortor, quasi re bene glorior
acta.
Sic quia non operor, verum ocior atque
superbus
Ante diē dominor, nec iusso munere fungor.
Ingratusq́; Dei donis fruor, vtor, abutor:
In senio famulor, tum panē ruminor atrū,
Tunc luxum moderor: Ieiuuo sed quia ven-
tre
Liquor & emacror, tenues depascor & ar-
tus:
Ergo nouas scrutor, meditor, vafer auspi-
cor artes,
Caussor, caussificor, cauponor, nauiculorq́;,
Vel si-

Velificor, piscor, mox naufragor. Aucupor ergo,
Quid venor? coruos. Sed quomodo nundinor. Ecce
Cōspicor expositas merces, delector iisdem,
Aggredior, speculor, cunctor, sermocinor atque
Gesticulor, liceor, nil mercor, nidulor autē,
Mutuor, alterius sic merce negocior, atqui
Iustitiam nullam veneror, sed fœneror, & cum
Non satis inde lucror, prædor, spolior, populorque,
Furor, depeculor, potior, lætorq; potitus. „
Cuncta sed inficior, iuratus numina testor.
Sic nanciscor opes, sic diuitias adipiscor.
Sed non radicor. sed dignos artibus istis
Sortior euentus, laqueatus quādo reuertor,
Carnificemque sequor. Nam quando periclitor & iam
Ominor exitium vitæq; remetior acta:
Tum precor, obtestor, tum tristor, conqueror, imo
Lacrymor, & queritor, frustra at consolor, adhortor.

Nec reus eluctor, dubio dum pectore luctor.
Quam male tunc radior? cum castra nouissima metor.
Cum miser ad coruos gradior, scalisque gradatim,
Exorior, morior, ringor, cornicor apricor,
Verminor, exsequior, cum coruos nutrior, imo
Vermiculor, pendensque pilis atque vngue renascor.
Nec tamen his vitiis medeor, sed inebrior, illis
Immoror, immorior, miserum me punior vltro,
Nec mala, quæ mereor, vereor præsentia, donec
Experior, truncor, cernensq; tenebricor. Ah cur
Non mihi suppetior? Nunc mortis labor ad vmbras,
Et Stygiis vrinor aquis, miserabile dictu.
Hæc tam tetra bonos quia deponentia mores,
Deponunt animamque necant, depone vicissim,

Et quæ compoſitæ ſimilis cognata Figuræ,
Aut ſpecie nobis hinc vſurpata frequenti
Eiuſdem Generis, verbis generātur ab iſtis,
Non modo Grammaticis ſed toti cognita mundo,
Non iſto numeranda loco, loco habebis eodem.
Verba tuam Paſsiua decent Actiuaque vitam,
Vt facias facienda, pati patiendaque diſcas,
Vt mala ſuſtineas, rite abſtineaſq; cupitis.
Sis humilis geſtu, ſemper meditere, quis es tu?
Cautus in ingreſſu, gaudet doctrina receſſu.
A teneris aſſueſce pati, patientia magnum
Eſt adoleſcenti decus, & non vltima virtus.
Nunc faber aggredior magnum, memorabile & ingens
Deucalionis opus, quod nec contenderit ipſe
Fingere Lyſippus, nec præſtans Dædalus arte.
E ſaxo formandus homo eſt, ex ore Beani,
E cerebro Bacchantis, agreſti e caudice Pallas.

Tu Patiens, ego sum Medicus, quæcunque propino
Exsorbere tuum est, ad plagas ludere risu,
Calcandum pedibus, tergum submittere cunctis,
Multa audire & pauca loqui, sufflare tumentes
Ad colaphos buccas, & magnas addere grates,
Sic hodie est moris, sic mũdus tractat amicos.

DIME.

DIMETRI IAMBICI IN RITVM DEPOSITIONIS.

Saluete candidi hospites,
Conuiuiumque sospites,
Quod apparatu diuite
Hospes parauit, sumite.

Beanus iste sordidus
Spectandus altis cornibus,
Vt sit nouus Scholasticus,
Prouiderit de sumtibus.

Mos est cibum magnatibus
Condire Morionibus,
Nos dum iocamur crassius,
Bonis studemus moribus.

Lignum fricamus horridum,
Crassum dolamus rusticum,
Curuum quod est, hoc flectimus,
Altum quod est, deponimus.

Vt hunc nouum ceu militem
Nostrum referre in ordinem
Queamus, atque stipitem
Formare doctam Palladem.

Contrariis contraria
Curanda pharmacis mala,
Ferox Asellus esurit,
Lactuca labris conuenit.

Vbi malignus nodus est,
Quærendus asper clauus est,
Vt hæc dometur bestia,
Addenda verbis verbera.

Vos interim dum ludicro
Tempus datis spectaculo,
Vultus seueros ponite,
Frontem serenam sumite.

FINIS.

Rodol-


Rodolphi Gocklenii Nota ad Carmen Widebrandi.

Pro verſu prælior & velitor, &c. lege:

Prælior, armaminor cunctis, & velitor audens.

Nam velitor primam habet longam.

Verſus: *Furor depeculor*, eſt vitioſus, quia *cu* in depeculor debet produci, vt *cu* in peculium.




DE ORIGINE, CAVSSIS, TYPO, ET CEREMONIIS ILLIVS RITVS, QVI VVLGO IN SCHOLIS DEPOSITIO appellatur, Oratio M. Iohannis Dinckelii.



Additum est Iudicium Reuerendi Patris D. Doctoris Martini Lutheri, de hoc ritu.

REVERENDIS, PIIS, ERVDITISQVE VIRIS DOMINO FRANCISCO Wenigerkindo, & Dom. Iohanni Monacho, Verbi Dei Ministris fidelibus, Dominis & amicis suis candidis,

S. P. D.



VM habuissem hanc Orationem, Reuerendi, pietate & eruditione præstanti excellentes Viri, Anno sexagesimo nono in Collegio Saxonico, expetebatur & describebatur a multis studiosis, eã (vt puto) ob caussam, quod antea de hoc argumento, etsi ritus omnibus esset notißimus, parum legissent vel audiuissent. Iam aũt aliquæ caussæ, vt eam edi concederem, me permouerunt. Cur aũt vobis eam inscripserim, Reuerendi Viri, fortaßis miramini. Cum filiis tuis, Venerande senex Frãcisce, multos annos cõiunctißime vixi, & scio præterea, te hisce reb. scholasticis delectari, quod abunde tum declarasti, cum filios tuos, posthabitis omnib. artib. quæstuosioribus, non sine sumtib. ad literarũ studia adhibui-

adhibuisti, & spectator ipse huius ritus esse in filii depositione voluisti. Tecum vero mi Monache, vt cum cōdiscipulo veteri, tanta mihi tamq; suauis intercedit amicitia, vt maior esse vix posit. Scio insuper, te vera et sincera animi beneuolentia me prosequi, cōplecti & venerari, præterea apud æquales nostros sæpenumero mei magis honorificam facere mentionē, quam aut ingenium, quod exile, aut eruditio, q̄ plus satis tenuis est, meretur. Oro aūt officiose & reuerenter, vt hoc meum factū candide interpretemini, & non tam donum, quam animum donantis perpendatis, certißimeq; vobis persuadentis, a me nulla alia de caussa hoc profectum esse, quam vt aliquā meæ mentis significationem vobis probarem. Quam vos pro candore vestro Theologico æquo animo suscepturos, & quicquid in hac re factū est, dextre interpretaturos omnino cōfido. Valete: Erfordiæ Anno salutis: 1578. Eo Die, quo ante annos 32. cum S. Luthero concordia ex his terris emigrauit.

V. R. D. totus

M. Iohan Dinckel in Academia Erfordiana Professor.

ORATIO DE RITV DEPOSITIONIS.

SIGVT pictor elegantem Imaginem,& quæ multos ad ſui amorem pulcritudine inſigni allicere poſſet,incipiens,&deinde ante Coronidem additam relinquens, ineptus merito haberetur & diceretur: non ſecus & nos in prouincia noſtra citra reprehenſionem, & quidem iuſtam viuere haud poſſemus, ſi inceptum penſum abſoluere diligētia tanta,quanta in nos homunciones humi ſtratos cadere poteſt, non pergeremus, & omne id quod in noſtra militia neceſſarium eſt, coniungeremus. Duplex autem omnino eſt id,quod in ſtudioſo requiritur,Studiorum ſcilicet conformatio, & Morum elegantia, quorum alterum ſi deeſt, Studioſus non Muſarum,ſed fœdiſſimę Chymeræ imaginem refert atq; ſimulacrum. Qui enim, vt prouerbiū veritatis calculo ſtabilitum habet, proficit in literis,&

ris, & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit. Cum itaque de dignitate, vtilitate, & iucunditate ſtudii philoſophici dominus Decanus perorarit, & neceſſarium id præ ceteris omnib. (religioni & cultui diuino, cui hoc ſeruit, priore loco conceſſo) probarit; Ego quoq; ex eodem campo floſculum mellitiſſimum decerpere mihi propoſui, & argumentum eam partem declarans, quæ mores informat, vtilitate clarum, iucunditate conſpicuum, ſcituque neceſſarium, proferre cōſtitui. Sed neſcio, quomodo hic mihi quoſdam, quibus modulus eſt vitæ culina, oblatraturos, animus præſagit, nihil omnino in publicum proferēdum, cuius non certus auctor, & in omnibus firmata demonſtrationibus ſcientia, ex probatiſſimis auctoribus, iiſque cōpluribus proferri poſſit, vt ita conſentientiū teſtimoniorū ſuffragiis res ſtabilita, tanquam Sibyllę folium, ab oraculo ex tripode confirmatū, ab omnibus tuto recipiatur. Hoc totum quic-

quid eſt, libenter ipſis do atq; largior, ea videlicet, quæ multorum teſtimoniis firmata ſunt, tutius recipi: verum illud quod dicitur, nihil in publicum, niſi omnino certum producendum, vt concedam, tantum abeſt, vt etiam contradicam, exemplis ſuffultus pluribus. Hac enim ratione, neque Medicinæ, neque Iuriſprudentiæ, neq; Aſtronomiæ, neq; aliarum ſcientiarum eſſet facienda mentio, in quib. multæ probabiles rationes, dum infallibiles demonſtrationes deſunt, recipiuntur. Quare cum me excuſatum fore certo mihi pollicear, ſi argumentum non multorum quidem ſcriptis illuſtratum, vtile tamen & ideo magis gratum, in medium protulero: quantum per anguſtiam temporis, & vires ingenii exſiles conceditur, ſtrictim καὶ λακωνικῶς de ritu in ſcholis vſitato, & propter multas vtilitates conſeruatione digno, quem receptionem & examen Tyronum, aut vulgo Beanorum depoſitionem appellitant, commentatiuncu-

riunculam inſtituam, eiuſque originem vna cum tempore & loco, deinde cauſſas, præterea typum etiam, & tandem cæremonias in eo vſitatas patefaciam. Imo vt hunc non omnino parui faciatis, propter cauſſas, quas ex ordine commemorari audietis, ſi non perſuadere poſſum, attamen conabor. Ad primũ ex quadripartita propoſitione membrum quod attinet, originem ſcilicet, non multa neque in veteribus, neq; recentiorib. reperiuntur, niſi quod Gregorius, ob excellentem in diuinis ſapientiam, vas electionis, Magnus puteus profundus, & os Chriſti appellatus, in Monodia de vita Baſilii magni ſcribit, hunc ritum primum a doctis piiſque Viris, in loco ideo celebri, q, ex eo tanquam ex equo Troiano cateruatim docti prouenerint, Athenis ſcilicet in florentiſſima diſcentium frequẽtia inſtitutum eſſe, addens tum Baſilium magnũ Athenas ex Conſtantinopolitana Academia, Athenienſi id temporis non minus

celebrem rediisse, eaque de caussa dictum Basilium, hunc ludum effugisse, quod non nouitius huius Vniuersitatis studiosus, sed ex veteranis putaretur. Verba Gregorii Nazianzeni breuiter contracta, quoniam multam doctrinam continent, subiicio: Quando aliquē nacti sunt (inquit) discipulum, ridiculum sane, quem in modum illum exagitent aut deludant, vt eius fastum & arrogātiam (si quam forte habet) exstinguant, & humanum ac facilem reddant. Nam quidam verbis prouocare, ac captiose petulanterque interrogare per contentionem, quidam audacter & incomposite, nōnulli vero cum ratione & Dialectica solent. Quod sane factum iis, qui rem hanc & consuetudinem nesciunt, metum incutit: iis vero qui norunt, iucundum & ludi instar est. Ostentatio quidem sola timorem habere videtur, res vero minime. Post hæc in balneum per forū eum ducunt: appropinquantes more furentiū saltant & clamant:

vox

vox hæc eſt: balneum prohibetis, nec nos recipitis. Simulque portas calcibus perfringunt, vt vox ac ſonitus hoſpitem eo deductum, perterreat: & ex hoc ſane appareat, an is intrepidus, & firmus, an mollis & inconſtãs exſiſtat. Deinde in balneum introducunt, & ab omni liberant metu, & in reliquum tempus, vt vnum ex eis habent: His demum nugis illa Iuuentus oblectatur. Hanc illius ludi conſuetudinem, vnus Baſilius effugit, effecit enim, vt non nouus & nuper aduena, ſed ex veteranis videret: Hactenus Gregorius. Hinc ſane origo huius ritus inſtituti, & tempus quodammodo colligitur. Hæc enim ante annos mille ducentos accidiſſe ex probabilibus rationibus colligi poteſt, circa annum ſclicet Chriſti Saluatoris, trecenteſimum ſexageſimum, cum circa annum Chriſti 370. claruerint, cum Gregorius Magnus, vt refert Diuus Hieronymus Diſcipulus ipſius, & Rufinus libr. 2. cap. 9. tum ipſe Baſilius Cæſareæ in Cappadocia

Epiſcopus, vt ex eiuſdē etiam epiſto-lis doceri poteſt. Cum autem mōſtra-ta origine, loco, tempore, nefas eſſe vi-deatur ſuſpicari, tot tantoſque Viros, qui in dicta ſchola Athenienſi, tum floruerunt, quicquam temere, aut ſine grauibus cauſſis inſtituiſſe, de iis et-iam videbimus. Conſentaneum au-tem eſt, eos exactum diſcrimen con-ſtituere voluiſſe inter adoleſcentes re-center ad Academias, vt ſe Muſarum caſtris adiungant, confluentes, cum alii ingenio naturaue ad ſtudia minus apti, alii voluntate peruerſa ab iis alie-ni deprehendantur: Idque fecerunt ex maiorum ſapientiſſimorum imita-tione, quibus ſtatutum arctiſſime fuit, neminem in ſuam diſciplinam reci-pere, niſi ingenium, naturam, mores, atque voluntatem diligentiſſime ex-ploraſſent. Sicut de Pythagora ſcribit Gellius lib. 1. noctium Atticarum, cap. 9. A principio adoleſcentes, qui ſeſe ad diſcēdum obtulerant ἐφυσιογνωμόνει, id eſt, mores naturaſque coniectatio-

ne qua-

ne quadam ex oris & vultus, atque adeo totius corporis filo atque habitu ſciſcitabatur. Eum qui exploratus ab eo idoneuſq; iudicatus fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim iubebat. Idem de Ariſtot. lib. 20. c. 4. refert, quod non temere quemlibet admiſerit, niſi antea ingenium & eruditionis elementa atque in diſcēdo ſtudium, laboremq́; exploraſſet. Non diſſimile eſt, q̄ Strabo de Indorū Brachmannis aſſirmat. Eos enim qui ad trigeſimum annum ætatis tacere, frugaliter viuere, carnibus & Venere abſtinere nollent, vt incontinentes, & ad Philoſophiam percipiendam haud idoneos repudiabant. Lacedæmonii, qui in educatione iuuentutis ſemper præ ceteris populis fere omnibus egregie laboraſſe ſcribuntur, liberorum & cōmiſſorum indolem admotis verberib. tam acriter ſæpe experti ſunt, vt non pauci ex eo morerentur, teſte Rhodigino libro antiquitatum 18. Eſſæos quoque, neminem in ſuum conſortium ſuſce-

piſſe, niſi per biennium patiẽtiæ ſigna edidiſſet, atque iureiurando confirmaſſet, ſe iuſtitiæ adhæſurum, & nulli alteri hæreſis dogmata traditurum, ſectæque libros conſeruaturum. Euſebius lib. 9. præparationis Euangelicæ, cap. 1. auctor eſt ἀξιόπιστος. Horum licet diuerſorum populorum, vnus & idem fuit in hac actione finis, vt videlicet ad quid diſcipuli natura ſua ferrentur, atque aptiores eſſent, cognoſcerẽt, vt ſi omnino ἄμουσοι & μαργεῖται eſſent, quos Deus neque aratores, neque foſſores, nec agricolas, nec præterea ad vllam rem idoneos feciſſet, (vt Homerus in Margite citante id Ariſtotele libr. 6. cap. 7. ἠθικῶν Νικομαχειῶν loquitur) cauerent, ne nobilem ætatem, parentumq́ue ſudorem fruſtra in Gymnaſio, dedecorantes & præceptoris & ſcholæ auctoritatem, conſumerent. Nõ alio ſane fine Athenienſis Academiæ proceres, doctrina atque experientia clariſſimi, hũc, de quo agimus, ritum depoſitionis inſtituere, quã vt ingenium

natu-

naturamque cuiuſuis explorarẽt, philoſophorum & hominum celeberrimorũ exemplis iam recitatis permoti: Neque ſolum ingenium, ſed voluntas etiam fuit cognoſcẽda, quod aliquanto plus laboris, & accuratiorem obſeruationẽ requirit. Nam in quibuſdam ſingularis voluntas elucet, quod ſtrenue operã literis ſint nauaturi, in quibuſdam malitioſæ, mõſtroſæ & diſtortæ voluntatis prauitas atque proæreſis ignaue atque remiſſe ex induſtria omnia agendi, & tantum ſtudia titulotenus ſectandi. Huius farinæ multi ſunt Libethriis indoctiores, qui neque natare, neque literas diſcere curant, nihilominus tamen patria bona ſudore laboreq; pluſquam Herculeo parta, dilapidare, atque concoquere alti voragine ventris non verentur, idque ratione multo inhoneſtiore, quam ſuperiores, quibus nõ voluntas quidem, ſed ingenium eſt negatum. His perditis tamen Cræſos ſe ſomniant. Iri autem paupertatem reuera experiũtur,

aut vt Græcum habet prouerbium, fiunt πτωχολάζονες. Deficientibus autem postea rebus omnibus necessariis, in quam tetra scelera prolabantur, horrendisque flagitiis immergantur, narrare animus cogitatione fere consternatus prohibet. Ideo hæc vobis perpẽdenda relinquens, procedo. Aliã caussam, eamque non leuem expresse in verbis ante adductis describit os diuinæ sapientiæ profundum Gregorius, quod videlicet voluerunt arrogãtiam fastumq; nouitiorum reprimere, eosq; humaniores reddere, & eo deducere, quo submissius de se, & supellectile sua curta quam domi secum habitantes reperirent, iudicare discerẽt. Quidam enim diabolico superbiæ veneno adeo sunt infecti, vt omnes alios præ se non modo superciliose contemnant, sed & præceptorum aliorumque superiorum auctoritatem aut parui faciant, aut omnino nihili pendant, aut tantam suæ eruditionis opinionem de se concipiant, vt parum etiam absit, quin

quin ex tumore rumpantur. Hocin caſu verum exauditurid, quod vulgo iactatur: Multi ad eruditionem peruenire potuiſſent, niſi diu ſe perueniſſe putaſſent. Hoſce aureorum montium ſomniatores in alto circumuolitantes, Icari inſtar, & magnos iactitantes ſpiritus, vt ad humilitatem, quæ omnium ſtudiorum Mater eſt, vt ἔνδεια τῆς ὑγιείας reducerent, & humi ſerpere docerent, hoc ritu eos initiari voluerunt. Si enim teſtimonio Socratis, oraculo Delphici Apollinis omnium ſapientiſſimi habiti, ſcire noſtrum nihil eſt, aut ἄμφις βητήσιμον ὄναρ, qualecunque vel mediocre etiam ſit: quãto magis horum elatorum, & mero faſtu, non doctrinæ Elementaris in primis literis & ſyllabis, vel ſi quicquam tenuius poſſum nominare, ſolida cognitione tumentium, concepta de ſe perſuaſio erit inanis, futilis, nullius momenti, atque vmbratilis? Sicut enim vmbra non diutius ſolet neque poteſt durare, quã corpus aliquod opacũ ob-

iectum lumen Solis aut alterius corporis lucidi intercipit, atque hoc remoto cadit: Ita hæc doctrinæ magnæ opinio ſplendide quidem concepta, non poteſt conſiſtere, ſi paruulus alicuius doctioris ventus tegumentum qualitercunque fucum faciens, ventilare inceperit. Quod ſi fiet, tum non aliter ac graculus Æſopicus, aut aſinus Cumæus, qui ſibi Leonis pelle indutus Leo videbatur, cum ſummo dedecore, & damnum, quod nunquam ſarciri poteſt, reliquum habebunt. Hoc idē & ſuperbo gallo accidit, qui dum in ſuo ſterquilino criſtas tollit, & pennas nido maiores extendit, nemo aliter ſtatuere aut iudicare poteſt, quam ipſum ſolum in aula regem, Sed ſuperueniente alio potentiore, aut proprio nidi Domino, quam latum ſit ſuū imperium, experitur. Tertia cauſſa ſuccedit, quæ eſt, quod non parum referat, quales Præceptor diſcipulos habeat, cum propter ſui ipſius, tum ſcholæ auctoritatem. Quicunque enim

diſci-

discipulorum in vicia supra dicta incurrunt, a studiis omnino cohibere, tum tutius, tum conducibilius existimo, quam in malitia sua confirmare, q; fit fouendo eos, qui aut ex tumore superbiæ, & conceptæ magnæ eruditionis vanissima opinione, aut præpostera iguauia procedere nolunt. Atq; in hoc sapientissimi Viri optime prospexerunt Præceptoribus, ex imitatione antiquissimorum Philosophorum, vt supra dictum, ne facile, vel cõtumaces, vel negligentes, aut asinis ignauissimis pigriores, & Præceptoris & scholæ auctoritati labem aspergerent, quæ postea non sine magno labore elueretur. Et quemlibet velim considerare, quantum decus, quantamq; gloriam consequatur, ex eiusmodi quos modo descripsimus, tribus Anticyris & breuibus Gyaris dignis discipulis. Non ne Præceptor inscitiæ, ignauiæ, socordiæ, auaritiæ, & quidem eiusmodi, quæ etiam ex lotio, vt de Vespasiano dicitur, corradere aliquid studeat, insimulabi-

tur, nonne mēdacii, vt qui multa promiſerit, parum autem ſiue nihil præſtiterit, accuſabitur? An non ſchola, quæ ſtudioſorum debet eſſe receptaculum, ſtabulum ignauiſſimorum hominum, & turpiſſimorum ventrum, lurconum, comedonum, & eiuſmodi harpyarum, quæ nihil aliud quam terram grauare, eandemque ſuo fætore complere poſſint, in omnibus triuiis appellabitur. Quarto cum certo conſtet, eos, qui mediocrem in literis progreſſum fecere, ſępe de vita, ſtudiiſque in poſterum inſtituendis admonēdos eſſe; commode huc etiam veteres reſpexerunt, & hoc ritu tempus huic admonitioni conueniens definiuerunt, ideoque neminem ad maiora vt graſſaretur, admittere voluerunt, niſi ex interuallo hoc ritu pręcedente, & quibuſdam præceptis propoſitis. Hic ſe latiſsimus dicendi campus aperit, qui totam viuendi diſcendiq; rationē ſuo ambitu cōtinet. Quoniam autem hæc de virtutibus Studioſum decentibus,

& ra-

& ratione recte instituendi studia longior est, quam vt hic possit absolui doctrina, & alias aures vestras in omnibus lectionibus circumsonat, de hac in præsentia nihil dicam, sed ad aliud tempus hoc amplum dicendi argumentum differendum puto, sufficitque mihi demonstrasse, quod veteres ideo etiam hunc ritum instituerint, vt nonnihil progressos in studiis, & ad Academias cogitantes, de vita in posterum recte ingredienda & regenda commonefacerent, quod adhuc vtiliter seruať. Exposui hactenus caussas, vt pollicitus sum, sequitur ergo typus, de quo eadē breuitate, qua in superioribus vsus sum, dicā cum doctrinam admonitionemue necessariā cōtineat. Depositio est ritus in scholis vsitatus a maioribus institutus, lusui iocoso non absimilis, ostendens omnes eas difficultates atq; calamitates, quas quemq; ex Dei optimi altissimiq; voluntate, aut cōcessione, ferre cōuenit, atq; adeo oportet in hac sua scholasti-

ca militia. Hinc Reuerendus, pietate, doctrina atque multarum rerum experientia, clarissimus vir D. Iohannes Matthesius concione 12. de vita Lutheri historiam vtilem annotatam reliquit: Anno 1540. aliquot ciuium ex valle Ioachimica filii cornua de more scholarum in præsentia parentū, quos D. Lutherus hospitio & conuiuio exceperat, deposuerunt, atque hoc spectaculo ad finem deducto, pro consuetudine, sanctæ memoriæ Luthero absoluendi, & in numerum Studiosorum recipiēdi caussa oblati sunt. Hic inter alias multas eruditas piasq; dissertationes, tandē hoc addidit: Hæc depositio est tantum ludus pro pueris institutus, nihilominus tamē significat eas difficultates atque calamitates, cum periculis coniunctas, quas exantlare atque ferre oportet adultos, ad publica munia vel ecclesiarum, vel scholarum, vel rerum publicarū euectos. Verbi enim ministrum auditores, informatorem iuuentutis discipuli, Reipublicæ præ-

ſidem, ciues atque ſubditi varie vexant & exagitant. Vſurpatur autẽ hæc Depoſitio, vt pueri a teneris annis aſſueſiant ad patientiam. Qui nihil perferre ac pati poteſt, ad gubernationem cum politicam, tum eccleſiaſticã, cum aliquo commodo adhiberi non poteſt. Atque hoc de prima ſignificatione dixiſſe ſatis eſt. Deinde hoc ritu oſtenditur, hunc diem alios mores, aliamque vitam poſtulare, & non aliter animum a vitiis & inquinamentis errorum quorumcunque, quam corpus a ſordibus per Depoſitorem mundatum eſt, purgari debere. Hic occurrit admonitio extremę neceſſaria: Multi enim Studioſorum animi hac impia fuerunt & ſunt faſcinati opinione, vt firmum ratumque habeant, Studioſorum vitam eſſe illam cyclòpicam ferociam, Lapytharumque licentiam, qua quiduis, quod libeat, liceat. Quilibet ex maxima turba egregie ſe Studioſi officio functum eſſe, & fungi certiſſime credit, ſi multas peruagari plateas,

nocte dieq; poſſit, caligis ad talos vſq; demiſſis & dependentibus, monſtroſiſſime ad tetriorem quam Diaboli imaginem confectis incedat, quemlibet ſtultum, in leuitate veſtitus hominem non decente, imitetur, redimicula in mitris, bracchiis, & aliis repræſentet, annulos inſtar hiſtrionum, & Bacchanaliorum feſta celebrantium ex auriculis dependentes geſtet, ſtrenue pro libris pocula euertat, manibus pro papyro chartam luſoriam tractet, loco Collegiorum ſtabula equorum vel domus veteribus inacceſſas, imo ignotas viſitet, omnia nolo neq; poſſum dicendo perſequi. Hæc nocentiſſima peſtis animis Studioſorum eximenda & radicitus euellenda eſt, & quid quemque deceat cõmemorandum eſt. Si enim nullum inter latronem, lurconem, comedonem, bibonem, hiſtrionem, ardelionem, & id genus de infima fece & ſentina hominum, imo cloacis Diabolorum, & ſtudioſum debet eſſe diſcrimen, ad quid dicas

dicas mihi ſcholas inſtitutas cenſes? Horum vt mihi temperem vitiorum nullum in Studioſo exſiſtere veteres paſſi ſunt, ideoque hoc Depoſitionis tempore animum a vitiis purgari voluerunt, ita, vt membra exteriora a ſordibus mundantur a Depoſitore, ſingula armis ſuis attentante, & nodoſum diſtorto robore truncum, tõdente, ſecante, radente, lauante, leuigante, limante, ſcalpente, ſculpente, ſcabente, tornante, terebrante, diuidente, componente, fricante, dedolante, curuum, quod eſt recte ponente, vt hoc eleganti carmine heroico deſcriptum iam circumfertur. Cum enim vero verius ſit, laruas atque cornuta monſtra, feroces, indomitos, intractabiles animos, effrenaque colla iuuentæ deſignare, quæ vt plurimũ eſt multis contaminata vitiis, cæca, ſtolida, inepta, iners, temeraria, audax, impatiens, aſpera monitoribus, legum contemtrix, ſuperba, & pluribus atque maioribus vitiis atq; flagitiis deforma-

ta, quis dubitare poterit, & externam illam Depositionem interiorum flagitiorum abiectionem notare, & præterea ostēdere, in locum vitiorum abiectorum certas & ornantes omnem ætatē virtutes succedere debere. Sed vt ad finem decurrat Oratio de ceremoniis siue salis & vini vsu, tam paucis quam fieri potest verbis succinctam enodationem adiicio. Notum est ex lectione sacrarum literarum, salem in sacrificiis Deo oblatis, fuisse ex ipsius Dei mandato vsitatum, ita enim textus Leuitici 2. habet. Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. Quid ergo dicat aliquis tātam auctoritatem sal consecutus est, vt in sacrificiis veri Dei, & postea per κακοζηλίαν, in ethnicorum oblationibus etiam vsurpari cœperit? Imo vt ea maxime, quæ huc conueniunt attingam, significat primo Deo consecrari quicquid huius salis vsu imbuitur. Mementote ergo Studiosi optimi hoc, vosmetipsos
Deo

Deo & bonis artibus ab ipſo humano generi datis, religione voti, imo iuriſiurandi obſtingitis & deſpõdetis, quo poſtea per totam veſtram vitam tenemini, quod impune violare aut temere reſcindere vobis non eſt integrum. Agite ergo, quid in hoc ritu ſale fœderis tanquam arrha interueniente ſpoſponderitis, quotidie cum graui cura perpendite, bonis artibus ſtrenue incumbite, & veſtræ vocationis officia pie curate, vt aliquando cum a Deo, cui iam vouiſtis, imo de perpetua fide iuſirãdum ſanctum dediſtis, vocamini, bonarum artium doctrina, & vitæ innocentia aliis multum prodeſſe poſſitis. Deinde & ſal conſentienti omnium cum Theologorum, tum Philoſophorum iudicio atque teſtimonio ſapientiam ſiue doctrinam adumbrat. Idque non tantum propter conſtitutionem ſiue materiam: ſed etiam effectu, & vtilitatibus in quib. conueniunt maximis. Cõſtitutione quidem, quod indicat qualis debeat eſſe ſapientia.

Nam ſicut ſal ex rebus puriſſimis conſtat: ita & hæc debet eſſe pura, ſana, im̃aculata, & ſine corruptione. Quãuis autem hæc ſapientia duplex eſt, diuina & humana, ſiue ſacra & ciuilis, alteraque alteram longo interuallo ſuo doctrinæ genere antecedit: tamen in altera etiam ſua eſt puritas in artibus & linguis, qua ſocietas ciuilis carere nullo modo poteſt. Huius vtriuſq; ſapientiæ puritas, iis, quibus hic ſal ſapientiæ porrigitur, commendatur: effectibus vero ſal doctrinæ & ſapientiæ ſymbolum eſſe deprehẽditur. Sal adhibitus enim incidit, & ſi quid in corpore humano impuri adhæſit, mordendo abſtergit, ſuperfluos vitioſoſve humores, tenues pelliculas, & membra totius corporis erodẽtes diſſoluit, exſiccat, abſumit, & putrefactionem ac interitum, qui ex nimia humiditate & calore alieno prouenit, ſua innata caliditate & virtute ſpecifica prohibet, & naturam rei conditæ integram conſeruat. Hinc apud veteres ex-

res exſtat dictum etiam ipſa alluſione iucundum: Totis corporibus nihil eſſe vtilius ſale & ſole. Quorſum hæc (niſi fallor) obiicis? Importuna ſunt & nihil ad rem, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Audias quæſo, & perpendas pauca, vita noſtra huius ſapientiæ & doctrinæ beneficio ita debet eſſe compoſita & ornata, vt ſalis naturam atque effectum referat, vt ſi quicquam vitii aut mali habitus ex vita ante male & perperam acta, ex quotidiana conſuetudine adhæſerit, id eluat ſiue abſtergat, alia honeſtatem in præſentia lædētia, & non aliter quam acres humores corpus arrodunt, mentem inuadentia, expellat, & omnia ad putrefactionem tendentia, id eſt, promtitudinem ad flagitia, ſuperbiam, amorem voluptatum, opum, gloriæ, aut alia hominis ſtudioſi vitam dedecentia corrigat, funditus atque radicitus exterminet; econtra ſapientiæ vſum inducat, vt nihil in tota vita, vel ex affectu vel auerſa a ratione contra naturam animi

commotione, geſtum videatur. Ex hoc abſque dubio harum duarum rerum ſymbolo ſiue conuenientia ortæ ſunt cum Chriſti Prophetarum & Apoſtolorum, tum Ethnicorũ loquendi formulæ, quales ſunt: Bonus eſt ſal, habete in vobis ſalem & pacem habete inter vos, & D. Paulus inquit: Sermo veſter ſit ſale conditus. Tale eſt prouerbium vulgare, Salſitudo non eſt illi: vſurpatum de ineptis & ſtultis hominibus, quos alias ex eodem fonte deducto nomine inſulſos appellitamus. Eodem ſermonis modo ſalem apponere dicitur, qui iuſtitiã & æquitatem omni ſtudet pro viribus adhibere negotio, nulla fermentatam humanorum affectuum προσωποληψία. Ceterũ ſicut ille in cibis paulo liberalius aſperſus ſi tamen non ſit immodicus, adfert aliquid propriæ voluptatis, & ſua quæ iam recitari audiuiſtis habet commoda: Ita per hunc adumbrata omnium actionum ſapiens inſtitutio quiddam habet, quod videndi ac vt
ſumma-

ſumatim dicam potiundi ſitim facit. Hæc aurea mediocritas eſt per ſubſequentis in ritu, de quo agimus, vini adhibitionem indicata. Hoc enim mediocritatis norma ſeruata adhibitum, cor hominis, teſtes voco ſacras literas, exhilarat, in exceſſu ridiculos, bellicoſos, lacrymoſos, & ſordidos ciet affectus, triſtiſſimorumque morborum cauſſa atq; origo eſt. Vſus itaque vini, modum, opportunitatem, locum atq; tempus in decoro ſapientiæ, vſu ſalis monſtratæ, denotat, vt vbique quid tempus poſtulet, obſeruemus, ne plura quam decet loquamur, vt nos oſtẽdemus, ſed eorum, quibus cum ſumus dignitatis atque commodi rationem, quantum ſapientia cum diuina tum humana iubet, habeamus, denique in nullo alio genere inconcinni videamur. Hactenus recitata in ſcholis vſitati & magnifaciendi ritus deſcriptio, multa & honeſtatis & probitatis inſignia præcepta continet, quæ indies magis atque magis elucent, atque cla-

riora fiunt in membrorū exteriorum aut loco motiuæ diligēti gubernatione, & ex qua hæc fluit diligēti animi informatione, quæ tantum habet momēnti, vt vitia congenita & ab origine ex fontibus deprauatæ naturæ dimanantia corrigat atque pro vitiis virtutem, pro turpitudine laudem, pro probro decus, pro inſcitia doctrinam, & alia eiuſdem generis reponat, vt omnino id fiat, quod ſermone omnium trito prouerbio celebratur. Conſuetudo eſt altera natura. Propterea etiam, vt ſapienter inſtitutus: ita diligenter hic ritus, vt neceſſarium ſtudiorum adminiculum cuſtodiendus eſt, de eoque non tantum, vt de inani ſacerdotum Cybeles, vt Bacchanalia celebrātium diſcurſu, impudicis obſcæniſque luſibus atque iocis, ſed reuerenter eſt ſentiendum.

Per ea enim ludicra quæ oculus externus videt, animus interioris domus habitator nobiliſſimus, ſeria intelligit. Et ſane, ſi nihil aliud mediocre


incita-

incitamentum afferre poſſet, quo honeſtius de hoc ritu ſentiremus, ipſum impenſe amaremus, certe ſola poſſet, tantorum virorum auctoritas & antiquitas, ex qua depromta nouis omnibus veriora cēſentur, neque id immerito. Propius enim a Deorum origine maiores illi ſapientiſſimi abfuerunt, ideoque oculis prudentiæ clarius fulgentibus, & rerum experientia elaboratis, plura cum viderunt, tum explorarunt, rectiuſque iudicarunt quam mens noſtra, intra arctos cum parua ſapientiæ ſcintillula concluſa limites, perſpicere poteſt. Sed nunc ceteris reiectis recitaſſe ſufficit hiſtoriam continentem originem cum loco & tempore, cauſſas, typum, cęremoniaſq;, ne hic ritus inanis vanuſue luſus videatur.

RODOLPHI GOCKLENII PHYSIOLOGIA RISVS ET Ridiculi.

CAPVT I.

De nomine Risus.



PVLCHER est versiculus apud Sophoclem in Aiace flagellifero, monens rerũ humanarum celerem esse commutationem, & Deum pro suo arbitrio secundas & aduersas res dispensare.

Σὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κ᾽ ὀδύρεται.

Id est,

Deo volente quisquis ridet atque flet.

Cum igitur nunc per eius clementiam liceat, otio nobis cõcesso liberali, fruentes ingenue & liberaliter rideamus, hoc est, de Risu philosophemur: Iucunda sane de hoc disputatio & inquisitio est, vbi veram sedem habeat,

quo pacto cõcitetur, seu quo modo &
vnde exsistat, atq; ita repẽte erumpat.
Vt igitur commode eo perueniamus,
primũ nomen Risus explicemus. Pru-
denter enim dictum est, Δεῖ πρῶτον τὸ τῆς
φωνῆς συμαινόμενον ἐξετάζειν εἰς ὀρθῶς διδάσκειν.
(oportet primum inquirere, quid vox
significet ad recte docendum.) Risus,
γέλως, proprie significat ridendi actum
soli homini conuenientem, vt cum
Cicer. ait ad Q. Fr. Memini miros nos
risus edere. Et de claris oratoribus: E-
quidem in quibusdam vix risum tene-
bam. Aliquando accipitur pro poten-
tia ridendi, vt cum risus dicitur pro-
pria hominis affectio seu πάθος. Sicut
sensus, visus, nunc pro actu sentiendi,
videndi: nunc pro vi seu facultate sen-
tiendi, videndi accipitur, teste Aristo-
tele lib. 3. de anima. Interdum accipi-
tur modificate, vt metaphorice pro
quasi risu, qui & homini & plantis &
cœlo tribuitur, etsi non eodem mo-
do. Poetæ plantas dicunt ridere colo-
ris amœnitate, floris iucũditate, vigo-
ris hi

ris hilaritate, paſcunt & oblectāt. Pauſanias refert apud Sordos herbam gigni ſimilitudine apii, q̄ veſcentes cum profuſo quaſi riſu rebus humanis exſigat ſeu e medio tollat. Salluſtius in Sardinia, inquit, quædam herba naſcitur, quæ Sardia dicitur, apiaſtro ſimilis, hęc ora hominum & rictus dolore contrahit, & quaſi ridētes interimit. Dioſcorides lib. 6. Sardoam ranunculi genus eſſe ait, quod veſcētibus mentem adimat, & quadam neruorum diſtenſione ora cogat dehiſcere in rictus, ita vt ſpeciē ſeu imaginem ridentiū præbeat. Hinc Sardonius riſus eſt, q̄ quidem in prouerbium abiit: Quo nomine ēt Cynicus Spaſmus cenſetur a medicis. Partim huc, partim ad primā ſignificationē pertinet ſubſañatio, quæ vox eſt a ſanna, hoc eſt, ore diſtorto, ſi propria ſpectet ſignificatio, vnde ſanniones dicūtur hōnes ſoluto riſu, morib. geſtu, vultu deniq; ipſo ridiculi. Cicer. 2. orator: Quid n. pōt eſſe tā ridiculū, q̄ ſannio eſt, q̄ ore, vultu, imitādis

moribus, voce denique corpore ridetur ipſo, ein Speyvogel / vnnd Boſſenreiſſer. Alias ſane per Metaphorā ponitur pro deriſione, quæ a tergo nudatione priorum dentium fit, vt apud Iuuenal. Satyr. 6.

I nunc & dubita, quin ſorbeat aera ſanna.

Species autem memorabiles ſubſannationis poſticæ, (quæ vel nobis abſentibus, vel poſt tergum & a parte poſteriore fit) apud Perſium Satyr. 1. tres ſunt, vbi inquit:

O Iane a tergo cui nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas mutata eſt mobilis albas,
Nec lingua quantum ſitiat canis Apula, tantum,

Prima ſpecies eſt Ciconia, hoc eſt, ciconiæ effigies, quædam (metaphora enim hic eſt) quæ manu contracta digitiſque in roſtri ſpeciem compoſitis repręſentatur: Quo genere ſubſannationis vti ſolent ardeliones, qui homines inquieti ſunt ac iactabundi, qui omnibus

mnibus se negotiis ingerunt, & vltro citroque discursant, mirisque vtuntur gestibus, manus iactantes, togam modo deiicientes, modo reponentes curiosi, contraque rationem officii sui actuosi, quos etiã ex oculis deprehendere licet, ex vultu, incessu, vestitu, totoque corpore, quorum singula variis modis componunt atque immutant, aliamque personam subinde sibi adsciscunt, nempe vel histrionis, vel palestritæ, aut deniq; agyrtæ, hoc est, circumforanei circulatoris, qui ad nugas plebem conuocat. Secunda est, cum pollicibus ad tempora appositis reliquos digitos motitantes asininas auriculas imitamur. Tertia species posticæ sannæ pueris est vsitatissima, quę sæpe in eos, quos contemnunt, linguam inserunt. Talis fuit Thiel Eylenspiegel. Ad has species seu modos irrisionis respexit Hieronymus, cũ monet rusticum: Ne credas laudatoribus & irrisoribus. Si enim subito respexeris, aut ciconiarum deprehẽdes post te colla

curuari, aut manu aſini aures agitari, aut æſtuantem canes protendere linguam. Hæ deriſiones ſæpiſſime fiunt tantum geſtib, ab eius, qui deridetur, occipitio, non accidente riſu externo, qui ꝑprie riſus dicitur, de quo nos hic agimus, accipientes nimirum riſum pro cõmotione quadam cordis cum effuſione ſpiritus, & ſono eodẽ iterato edito vel ſuppreſſo, & vibratione muſculorũ, qui ſunt ad latera oris, aliquẽ animi motum ſignificante. Hic riſus medium eſt inter æquiuocũ & vniuocum, quod multi recentiores vocant analogum, peripatetici vero veteres, & qui ex recentioribus hos ſequũtur, Nomen ab vno ſeu cõmune ab vno, λεγόμενον ἀφ᾽ ἑνὸς. Sicut enim a ſanitate & corpus & cibum & vrinam dicimus ſanam, ſed non eadem prorſus ratione. Corpus enim ſanum dicitur ſubiectiue, ſeu vt δεκτικὸν ſanitatis, medicina ποιητικῶς ſeu συνεργατικῶς, vt efficiens, cibus συντηρητικῶς, vt conſeruans cauſſa, vrina ἐνδεικτικῶς vt iudicium ſanitatis.

Ita

Ita risus a motu musculi, qui circa buccas, seu ad latera oris est, quæ pars rictus dicitur, risus vocatur. Ac fortasse vox est a rictu: & rictus παρὰ τὸ ῥύγχος, quod rostrum (porci magis proprie) significat. Rictus autem accipitur, & pro hiatu, vnde vox exit, & pro tota illa parte, quæ ad illum hiatum est, quæ in homine ridente, vel alio modo os torquente lineis quibusdam finitur, & pro ipsa oris distensione vel figura in ore ad tempus cõtracta, producta, inuersa. Hoc autem ordine risus pluribus attribuitur.

Primo & principaliter risus dicitur, qui fit ob speciem nouam & miram alicuius deformitatis, sine offensione.

Secundo, qui fit ob rem caram & amatam, qui subrisus seu imperfectus & obscurus risus est, & Celso Mancinæ Philosopho minime crudo improprie dictus seu risui similis. Vterque fit corde iucunde affecto, seu vi iucundæ affectionis cordis.

Tertio, qui fit ob titillationẽ neruo-

rum,ſub alis & ſimilib. partibus, quippe ii quoque, qui in præcordiis vulnerati ſunt, ridibundi perire dicuntur. Quarto riſus dicitur, qui habet pro cauſſa cõtemtum aut indignationem, quem quidem Scalig. exerc. 318. Sect. 6. Sardonium appellari ait: Sed addit, nullo modo cum prioribus conuenire definitione (Riſus fit a dilatione diaphragmatis, ex qua dilatio quoq; muſculorum, qui circa buccas ſunt, per conſenſum fit) ſed nomine ſolo æquiuoco, quod ſolius oris, non etiam pectoris, affectio ſit: quod quidem ego maxime verum eſſe puto de illo Sardonio riſu, qui a medicis conuulſio canina dicitur: Ideoque eum riſus ſpeciem aut modum non facio, nec de eo hic diſſero, ſed de prioribus & præcipue quidem de primo: Sicut Ariſtotelica de demonſtratione potiſſimum demonſtrationem διά τι reſpiciũt, cum & demonſtratio ſit ex numero analogorum, quæ vocant. Porro, riſus etiam ille, qui ex contemtu vel indignatione

exſiſtit,

exſiſtit, ſæpe ſubriſus eſt: vt cũ ſubridemus dictis eius, a quo alieniores ſumus. Virgilius:

Ad quem ſubridens miſta Mezentius ira,
———Nunc morere.

Eodem modo ridiculum eſt analogum, ſeu nomen ab vno, quod pluribus ordine quodam conuenit, cum riſus & ridiculum ſint relata, ſicut menſura & menſuratum, ſenſus & ſenſile, intellectus & intelligibile, ſcientia & ſcibile, πίστις καὶ πιστὸν, id eſt, fides & quod ſub fidem cadit: Et quot modis vnum relatorum, totidem etiam alterum dicatur. Plura & diffuſiora de notione Riſus non affero, ne præmanſum in os inſerere videar.

CAP. II.

De cauſsis Riſus.

Cum ex arbore Philoſophica hunc ſurculum defregerimus, diſpiciamus nunc de cauſſis. Cauſſa efficiens riſus eſt externa vel interna. Externa ſeu

foris efficiens est ridiculũ τὸ γελοῖον, γελαστὸν γελαῖσον, γελωτοποιὸν, vel vis, id est, necessitas cogens. Ridiculũ est species oblata hõini, quæ risum ei mouere põt, siue sit factũ siue dictum (vt scomaticũ dicteriũ) siue sit vere proprieq; ridiculũ, siue quasi. Estq; aliquid turpe seu defor me, aut ineptum, nouũ & insolẽs, pter comunem morẽ aut sapientũ sententias, aut indignũ, vel placens. Est ἀπροσδόκητον prẹter opinionẽ & exspectationem, vel ꝑuisum. Omnino n. difficile explicatu est, q̃ vnius generis ambitu sub ridiculi nomine cõtinere videant ex sentẽtia I. Scaligeri, q̃ ipsum ẽt experiundi cuiq; vel ingeniosissimo fas fuerit discere. Ludicrũ nõ cõplectitur omne ridiculũ, quia aliquãdo ẽt seria ridemus: Nec deforme & parũ decẽs: quia interdum ẽt cara nobis risu accipimus: quem tñ alii animi exhilarationem effusiorẽ q̃ verum risum dicere malunt. Turpitudo seu deformitas est recessus ab eo, quod homini cõuenit, siue naturam siue personam eius spectes.

ctes. Quod a tali specie risus moueatur, hinc patet, quod tãdiu rident homines, modo hic, modo alius, quamdiu p̃sto est & obiecta sensui talis species, hac vero recedente, risus quoque abit prosus, nisi forte ea in memoriam reuocata, & sensibus repręsentata subrisum postea cieat. Deformitas illa est animi vel corporis. Illa est vitiũ mentis vel motis seu appetitus sensuum. Ridicula igitur sunt ignorantia, nõ quidem rerũ occultaru abstrusarumq;, sed earum quæ cõmuniter ab omnib. sciuntur, & imprudentia: ac monstra Ethicorum vitiorum (vt cum introducit in Comœdia senex decrepit⁹ vel vetula amans aut saltans. Turpe senilis amor, ait Poeta, & anus saltans morti facit delicias.) Si enim scientia, doctrinæ, & virtutes, quib. recte loquimur, sapienter ratiocinamur, prudenter viuimus, & omnia decore compositeq; agimus, sunt animi ornamentum, pulcritudo & perfectio: Ignorantia cõtra, stultitia, imprudentia erit deformitas animi &

turpitudo. At primum. Secūdum igitur. Contraria enim contrariorū ſunt conſequentia.

Turpitudo animi iudicatur animo ineſſe ducibus ſenſibus, & deprehenditur ex verbis (vt conceptionum & notionum ſignis) & actionibus.

Deformitas animi eſt ſpōtanea vel accidentaria, ſeu non ſpontanea.

Spontanea eſt naturalis, quæ a natura eſt vel voluntaria, ſeu volūtate acerſita, ſiue ſit realis, quæ reipſa in animo ineſt, ſiue ficta ſeu ſimulata, vt ſi quis fingat ſe ignorare aliquid, & data opera ita riſum moueat, quod gnathones & fatuelli factitant. Non ſpontanea eſt ab aliquo accidente, vt morbo, vel a caſu, vt ſi quis non tam cito, quam par eſt, poteſt meminiſſe ſeu memoria expromere quod notum eſt, ſi quis delirans aut mente captus aliquid dicat aut agat ridiculum: vt quidam thorace & ægide ænea ſe induebat & galeam apponebat capiti, vt a morte ſe defenderet. Deformitas corporis eſt

membro-

membrorũ huius, vel poſitus vel motus, vel halitus eorũ : vt ſi fœmina procumbat ita curuato corpore, vt a tergo quædam appareant, quæ nudari non decet hominum oculis. Eſtque realis vel ficta. Realis quæ reipſa ineſt corpori, eſt a natura vel cauſſa aduẽtitia (naturalis vel fortuita.) A natura vt ſi quis naſcatur aut incedat Therſite deformior, gibbus, intorto ore. A cauſſa aduentitia, vt ſi quis deformis fiat ex accidente, vel fortuna, vt ægritudine, caſu, ictu. Ficta ſeu hypocritica quæ aſſumitur, vt ſi quis arte ſimulet, ſe eſſe gibbum, claudum, peſſime moratum, ruſticum, os intorqueat inſtar hiſtrionis & mimi: Is aſpectus eſt ὑπὲρ καγέλαςος. Et dum riſum captat, irridetur ex gelaſino fit, vt cum Plauto loquar, catagelaſinus, id eſt, deridiculus. Vere ridicula ſunt, quæ per ſe talia ſunt natura vel opinione hominum, vt ſi in certamine equeſtri nanus gigantẽ ephippio tollat & excutiat, equo deiiciat, res noua & mira eſt valde delectãs. Quaſi ridi-

cula ſunt, quæ ex fictione alicuius talia ſunt, vel offenſionem ſeu læſionem coniunctam habent, vel nobis ſunt cara aut placentia. Itaque ſubridemus aliquando in indignatione ac cõtemtu, ſicut & quando videmus rem caram diu deſideratam, vt amicum intimum, vxorem, ſponſam, cognatos, liberos noſtros, qui diu a nobis abſentes fuerunt. In facetiis riſum ſuauiſſimum commouent ea, quæ dixi ἀπροσδόκητα appellari, quod &c.

Quod opinionem fallãt eius quem delectant, atque ita errorem gratum ac voluptatem excitant quæ riſum efficit.

Nec tantũ ea quæ exſpectationem noſtram ſuauiter fruſtrãtur in reſpondendo riſum excitant, ſed multa inſuper alia, & ridentur etiam ea, quæ ante intelliguntur & prouidentur. Exempla plurima ridiculorum nobis ſuppeditant Apophthegmata Eraſmi, Æſopus, Marcolphus, Noctuarum ſpeculum, Alueus Apiarius, Moronautica,

tica, Facetiæ Blebelii, ἐπεισόδια, id eſt ea, quæ adiecta ſunt ad legitimam fabulam ciendi riſus cauſſa, ſiue ſint θεάματα, ſiue ἀκροάματα (hoc eſt, ſiue ſpectentur ſiue audiantur.)

Vis externa eſt cum aliquis titillatus ſub alis ridet. Motu enim titillationis (qui Græcis eſt γαργαλισμὸς & γιγλισμὸς) tranſuerſum ſeptum (panniculus tanquam interiectus paries cordis regionem ab infimo ventre & inteſtinis dirimens, inſtrumentum reſpirationis) incaleſcit, ad motum huius ſequntur motus rictus in facie. Ac licet non tantum ad διάτωμα, id eſt, cingulum ſeu ſeptum tranſuerſum, ſed in aliis etiam partibus titillationes fiant, vt in labris & veſtigio, in locis tamen diaphragmati ſeu præcordiis vicinis maxime fiunt, & ibi potiſſimum riſum efficiunt. Et hæc de externa προκαταρκτικῇ riſus cauſſa.

Interna efficiens riſus eſt remota vel propinqua. Remota eſt facul-

tas ſeu potentia ridēdi, quæ proprium hominis πάθος ſeu affectio eſt. Itaque riſus huius πάθυς etiam σύμπτωμα ſicut rubor eſt pudoris ſymptoma, dici poteſt. Intellige λογικὸν in homine ſeu rationali efficiēs eſſe ſynecticon ſeu adæquatum γελαςικȣ̃ per emanationem ſeu conſecutionem naturalem: ſine γελαςικῷ vero ſeu potentia ridendi, quæ nec negatiua cogitatione, nec reipſa ab homine ſeparari poteſt, ſeruato & incolumi homine, ſicut docēt omnes Philoſophi, riſum exſiſtere actualem non poſſe: ſed a remoto abeamus, vt minus ἐπιςημονικῷ.

Propinquæ ſunt ſecūdum naturam, vel præter naturam. Secundum naturam anima cognoſcens affectio aliqua animi & cordis & certa organa. Quod latet ignotum eſt, ignoti nulla cupido nulla cupido, nulla appetitio, nulla erga id affectio. Cognoſci igitur primū ſpeciem & imaginē neceſſe eſt quam poſtea cordis ſpiritus excitat, quo cōmoto calor effunditur. Cognitio illa plerum-

plerumque nõ tantũ ſenſus & φανταςίας eſt, ſed & intellectus. Rideo aliquid riſu dignum: tale hoc eſſe: & generatim tale quippiã eſſe vt riſum excitet, iudicium mei intellectus eſt, nec apprehenſio obiecti ridiculi facta a ſenſu & imaginatione ſufficit. Pleruñq; adieci propter eos, qui vti ratione non poſſunt. In iis non ratio iudicans ſeu διανοητικὸν, ſed ſenſus agit & φανταςικὸν, id eſt facultas imaginatrix & quidem ſæpe aberrans.

Cur potius animi quam corporis voluptatibus riſus commoueatur?

Affectus ſic animi ſunt præcipue voluptas animi & corporis, præſertim ea quæ maioris eſt efficaciæ, & plus poteſt, & admiratio etiam rerum ſeriarum: deinde indignatio & contemtus, qui ira ſubumbrata eſt. Sed admiratio intelligatur, quæ non ſit nimis magna, vt quæ ſtupor dicitur: ea enim non riſum, ſed ecſtaſin facit, inde ecſtatici dicuntur, id eſt, rapti extra ſe. Voluptas

autem ſicut effectus cum duplex ſit, animi & corporis & exteriorũ ſenſuum, qui ex cõtactu exſiſtunt, & interiorum qui ſine contactu fiunt: riſus etſi ab vtriſque, quia tamen hominis proprius eſt, potius ab anima quam a corporis voluptatibus commouetur.

An ad omnes voluptates riſus ſequatur?

Nam iis quæ corporis ſunt & exteriorum ſenſuum, voluptates & beſtiæ & homines ſine riſu frui poſſunt & ſolent. Sequitur autẽ riſus ad eas animæ voluptates, & quę vel plus ſpirituum in pectore commouent, vel cor magis aperiunt & dilatant, aut etiam peculiari & inexplicabili modo veluti titillant, & inprimis quæ leuiores, ioculares, nugaces & friuolæ ſunt, nõ ſeriæ & grauiores. Addo inprimis, qa quoddã genus riſus, voluptas animi grauior & ſeria cõmouet, vt cũ ridemus re valde nobis cara, quæ diu a nobis abfuit, iterũ nobis oblata: hinc gaudiũ non-

nun-

nunquam est gestuosum & exsultatio dicitur, quæ facit copiosius effusis spiritibus animum sese magis efferētem. Organa seu efficientia instrumēta risus sunt cor, musculi thoracis & oris, q̃b. inseruiunt spiritus & calor. Cor n. afficitur, musculi thoracis, & qui sunt ad oris latera mouētur, faciei ea potissimū pars extenditur, quæ est circa os, & rictus dicitur. Spirationis locū affici ostendit spiritus cū calore effusio. Spiritus aliquando copiosior de pectore efflatur, neq; continere facile est collectum spiritum, qui exitum quærit, & risum reprimere, cum etiā repugnantibus erumpat. Calorem & spiritum in risu effundi argumento est, quod risu corporis vires resoluuntur & debilitantur : quod quidem adeo verum est, vt ridens quidam solutius animam exhalarit.

Præter naturam caussa est morbus animi, vt desipientia, γελᾷ δ' ὁ μωρὸς κἂν τι μὴ γελοῖον ᾖ, id est, Ridet fatuus, etsi nulla risus caussa sit.

Ex harum cauſſarum conſideratio-
ne riſus diſtinguitur ita, vt dicatur fieri
vel ſponte, ſeu ἑκουσίως, vel ἀκουσίως : ἑκουσίως
vel ſerio ſeu aperto pectore, & ex ani-
mo, & cum iudicio aliquo : vel ſimula-
late: ἀκουσίως inuite vel vi ſeu coacte, vel
temere ac αὐτομάτως : huc pertinet riſus
e titillatione : titillare enim eſt certæ
partis corporis humani, vt eius q̃ ſub a-
liis eſt, contactu riſum vel inuito exci-
tare : vnde per Metaphoram ponitur
pro eo quod eſt contactu, neq; pror-
ſus iucundo, neque plane aſpero mo-
leſtoq; ſenſus hilarare, & quaſi diffun-
dere. Lucret. 2. lib. & quæ titillare ma-
gis ſenſus quam lædere poſſunt, Græci
dicunt γαργαλίζειν. Inuite ſeu non liben-
ter, neque ex animo ridere, prouer-
bialiter dicitur alienis malis (id eſt
maxillis) vel mandibulis ridere, quo
prouerbio e Græcis, Hom. Odyſſ. Υ.
e Latinis Poetis Horatius lib. 2. Satyr.
3. vſus eſt, ſicut alieno vultu, non ſuo
gaudere dicitur, qui coacto tanquam
& inuito renitet vultu. Sic Euſtatius

ξεναῖς

ξεναῖς παρειαῖς γελᾶν peregrinis buccis ridere, ait dici de risu ementito, non vero, non ex animo profecto, ad fraudem composito, vt qui præ ira nasum crispant, aut præ consilii inopia animo hęrentes in nō ridicula re risum cient.

De modo quo fit risus quæritur: cum Gregorius Nissenus, frater Basilii Magni statuit talem: aperiuntur & dissoluuntur per voluptatem in corpore foramina seu pori eorum, quæ ex iucūdo auditu vel aspectu hilaritate diffunduntur; ex hoc affectu plus solito dilatatis foraminibus seu poris per eos spiritus aliquis in profundum datur illicoque rursus a natura extruditur per oris foramen omnibus visceribus, sed inprimis tamen iecore, vt narrant, agitatione quadam & concussione spiritum huiusmodi simul extrahente: itaque commoditatem commeandi spiritui moliens natura foramē oris aperit, vtrinq; anhelitui genas diducens, nomen autem ei risus est. Hæc Nisseni sunt, in quib. de caussis, quę os in ri-

ſu diducant erudite & veriſimiliter diſputatur : ſed de ſpiritus illius ortu & attractione, & quomodo ab epate potius, quam ab aliis viſceribus extrudatur fortaſſe minus ſatisfecerit in hæc inquirentibus, qui quidem in epate riſus cauſſam organicam collocandam negauerint. Itaque arbitramur cum acutiſſimo quondã noſtro Præceptore Eſromo, voluptate, qua cor titillatur incaleſcit, & cũ ſpiritibus diffunditur, cor ipſum in primis in riſu dilatari, atque ſimul etiam diaphragma, cum in homine capſula cordis ſepto medio ſit annexa, atque ita etiam ſepto maioris attractionis cauſſam præberi, vt plus aeris in thorace colligatur cum inſpiratione : attractionis prima cauſſa eſt diaphragma, atque ſic potius, quam per poros ſeu foramina extrema corporis, de quibus Niſſenus ſuſpicatur, attractionẽ & collectionem in pectore aeris eius fieri exiſtimamus, ad quem emittendum oris diductione & apertione maiore opus ſit,
quam

quam absque hac commotione esse solet. Quemadmodum in aliis etiam affectuũ perturbationib. propter cordis æstũ aut dilatationem anhelare solent homines & spiritum ducere concitatiorem, sed sine tamen oris inuoluntaria diductione, vt in eo affectu, qui risum mouet, vel ex dilatatione cordis & diaphragmatis maiore, vel alia incomperta & occulta de caussa atque συμπαθείᾳ, oris musculi, & nerui hominũ a diaphragmate afficiantur potius quam ab alio viscere splenis aut epatis: sicut in oscitatione a cerebro, vel ventriculi etiam fumis crassioribus affici potius videntur, quam a diaphragmate, cum & nondum quasi defecatorum spirituum & cruditatum signum esse soleat oscitatio (gehner) & febriles etiam accessiones antecedere. Intellige autem hoc de risu maxime proprio: In risu enim quem efficit titillatio partium vicinarum septo transuerso ipsum septum affici, incalescere

& dilatari potius quam cor ſtatui. Vide infra quæſtionem: An in omni titillatione calor in præcordiis excitetur. Cauſſæ igitur riſus ἀνειωτάτου propiores ſunt: προκαταρκτικὴ interior (obiectiuam externē remotiorē & cām ſine qua nō diximus) voluptas & ꝗdem animi potiſſimum, eaq; leuior fere & nugatior: impulſiua interior ſpiritus collecti in pectore inſtrumentalis cor dilatans & mouens, atque ſimul dilatans ſeptum tranſuerſum, ꝙ ea dilatatione concipit ſpirituū plus ſolito ad quos expellendos mouet muſculos oris. Cauſſa formalis eſt oris diductio in tranſuerſum: Finalis, vt emittantur copioſi & ſuperflui illi ſpiritus, vel vt gaudiū cum admiratione declaremus. Sed improprius riſus poteſt etiam eſſe ex vulnere facto in diaphragmate, vel ex titillatione, vt dixi, in quo incaleſcens diaphragma mouet ſimul cor, quem motum comitatur rictus faciei.

Riſus igitur eſt motus factus in corpore: Ac ſedes riſus prima & interior

eſt

cor vel diaphragma: exterior pars faciei, q̃ est circa os ad eius latera. Qui enim risum a capite arcessũt, eos non audimus, cum risus motus inuoluntarius potius sit q̃ volũtarius: sicut nec & hohola cantilenam hanc: splen ridere facit; accipiẽs ita, vt risum in splene residere dicamus. Sententia allata de interiore sede inde probatur, quod simul atque vel cor voluptate afficitur, vel aliquis sub præcordiis attrectatur, comitatur risus. Vide in problematis quæstionem disputatam: Vtrum præcordia an cor sit primum principium & sedes risus.

Cap. III.

De Definitione Risus.

Ex his colligi possunt definitiones: Risus verus & nõ simulatus, & qui maxime proprie sic appellatur est iucunda animi commotio cum dilatatione cordis & vibratione septi transuersi, musculorũ thoracis & oris ob apprehensionẽ insolentis speciei facta. Vel: est motio facultatis animæ cognoscẽ-

tis ex tempore principalium partium, potiſſimum cordis, cum ſono fere velut ſingultante, continuoque fracto & ore diducto, vi iucundæ affectionis cordis. Vocem ridiculum in definitione non adhibeo, ne vitio petitionis principii laborare videatur: ſicut in lachymarum definitione non ponitur lachrymabile, ſed res dolenda cognita: Cognoſcentis implicat rem cognitam ipſum ridiculum, vt obiectum: per cognoſcentem facultatem intellige mentem & intelligentiam, cuius δυνάμεις ſunt φανταστικὴ imaginatrix, & διανοητικὴ ratiocinatrix. Dicitur veluti ſingultantis, quia ſingultus eſt motus ventriculi: nitentis noxia extrudere; ab hoc motu differt riſus non parum. Hæc deſcriptio vitioſa eſt, quia non eſt reciproca. Riſus eſt propria hominis paſſio ſeu diſpoſitio ſequens gaudium, vel eſt motus animi cognoſcentis inſequens gaudium, nam riſus non eſt neceſſarium gaudii σύμπτωμα: ſæpe enim animum & cor

ſenti-

mus gaudio perfundi, & quasi titillari, & tamen non ridemus, & explicatio seu dispositio superuacua est. Alii definierunt sic. Risus est motus sonorus membrorum spiritalium hominis cum situatione partium faciei.

Tantum est materialis hæc definitio. Imperfecta igitur censetur. Adde quod est barbara. Situatio enim latinum non est. Laborat etiam obscuritate, pro situatione longe illustrius est extensio vel diductio.

Mancinio risus est motus dilatationis cordis inuoluntarius cum constrictione præcordiorum & contractione musculorũ, qui sunt ad oris latera, factus ab anima rationali ob apprehensionem speciei nouæ rei turpis sine læsione. Primum inuolũtarii vocem abesse malim. Risus enim aliquando liber est, & etiã cum inuoluntarius esse videt̃, rationalis animæ motus est. Dicis tu: non paret rationi. At aliquando paret rationi inquam ego. Dicis tu:

vel repugnātibus erumpit. At inquam ego, repugnantibus etiam non ſemper erumpit. Difficile quidem cohibere riſum, & non ſolui in riſum in ὑπερκαταγελάστῳ, id eſt, re valde ridicula. Sed tñ aliquando cohibetur. Ad ſummam. Aliquo modo riſus in poteſtate hōnis eſt. Miſtus igitur motus eſt riſus, nec ſimpliciter liber ſeu voluntarius, nec ſimpliciter inuolūtarius. Mouent enim eo muſculi inſtrumēta facultatis animalis a facultate animali vitali cōſpirante: & licet animalis ſit motus, eſt tamen in numero eorum, qui ſubſeruiunt naturalibus Ita mediam teneo ſententiam inter eam, quæ riſum naturalem ἑκούσιον vel liberum dicit eſſe motum, & inter eam quæ ἀκούσιον. Deinde ideo diſplicet inuoluntarium in definitione riſus proprie dicti, quia hoc potius riſui ex titillatione conuenit. Hic eſt ἀπροαίρετος, id eſt, inuoluntarius, ac παρὰ φύσιν poteſt dici. Tertio, quia inuolūtarium eſt analogum, cum & coactum & naturale ſignificet.

Recti-

Rectius igitur dicitur Risus est motus, naturalis, quia simul atque turpe aliquid insolens, sese nobis obtulerit, excitatur risus, licet intellectus non iusserit. Esse autem mixtum quendam motum, hoc est partim naturalem, partim voluntarium ostendit alui deiectio, & exoneratio vesicæ. Musculus hic constringens vesicæ collum agit voluntarie. Galen. libr. 1. de locis affectis. Ideo etsi naturali impulsu effluit vrina; tamen non effluit fere, nisi cum volumus, & possumus continere vrinam ad tempus. Hoc voluntatis est, etiamsi natura vrgeat expulsionem. Ad meiendi igitur munus concurrunt voluntatis imperium, & vis natium. Quarto proprie in fletu fit cõstrictio, in risu dilatatio, sicut risus & fletus sunt contraria, per risum dilatatur cor, & cum eo thorax & faciei musculi, per fletum vero constringuntur. Quinto, etsi læsio adiuncta turpitudini (vt cum facies turpis est ex vulnere) dolorem potius quam commiserationem aut

iram commouet, tamen eam etiam riſum parere in ἐπιχαιρεκάκοις, hoc eſt, iis aliena, quod dicitur, fruuntur veſania, qui alienis malis gaudent, experiundo didicimus. In Sophoclis Aiace flagellifero, hoc eſt οὐκοῦν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν: Ridere de hoſte riſus ex ſuauiſſimus.

Eſt & hæc riſus imperfecta definitio: Riſus eſt ſuauis quædam deceptio (ἀπάτη) & iucundum delirium (παρακοπὴ) ſeu eſt deceptio & delirium quoddam cum voluptate coniunctum, ex calefactione ortum. Quia multa ridemus, quæ ad deceptiones aut delirii ſpeciem non poſſunt referri. Voluptates animi præuiſæ a quibus etiam riſus commoueri poteſt, & commouetur ſæpe ſuauem fruſtrationē non complectuntur, nec iucundum delirium commouent. Riſus ex titillatione eſt riſus ex tractione laxiorum partium acri ſenſu præditarum, quæ inde calore inducto & ſpiritibus in iis diſſipatis ſubſiliunt. Titillatio enim, vt Sca-

vt Scaliger ait, est dissipatio spirituum in partibus laxioribus, quo motu subsiliunt sensoriæ partes: In laxis enim facilior fit spirituum subsilitio: & quas ad partes neruorum pertinent extrema.

In iis enim sensus est præsentissimus. Differt a scalptione. Titillatio fit tractatione leuiore, sculptio grauiore, propter id quod vrit? est enim rarefactio cutis & humoris attenuatio. Scalptio fit a nobis ipsis & aliis, sed nemo se titillat. Titillatio fit ἀπροαιρέτως, id est, motus ille mouet mentem præter voluntatē. Scalpitio vero fit ἅμα λόγῳ καὶ προαιρέσει, etsi naturalis caussa vrgens sæpe ad eam nos impellat. Hic cur titillatus, qui nostris ipsorum manibus fit, nō prouocet risum, is vero qui aliorum fit manibus, ꝓuocet, quærit Vallesius, & respondet: Quia q̄ risum sunt excitatura oportet occurrere, vt noua & inopinata: titillatus vero qui nostris fit manib. non pōt habere quiddā inopinatū, cum phantasia comitet̃ ipsum

titillatus motũ antequam fiat, & cum iam fit. De hoc exactius in problematis disserui, quæ consulere poteris.

Cap. IIII.

De Distinctione risus ex adiunctis.

Porro risus ex adiunctis distinguitur in moderatum & nimium. Ille etiam risus absolute dicitur per Synecdochẽ, vt cũ dicitur. Risus fit exrra cachinnũ. Moderatus est risus virgineus risus, & lenis subrisio, quod dicitur primoribus labris ridere χείλεσ γελᾶν & labiis ridere, quod interdum etiã idem est, quod non diductiore & vultu libere exporrecto, sed ringentium in modum renidere, & quasi in sardonium risum solui, qui fieri solet morsu animi molestia discrutiati ac mœrore grauati. Risus nimi' seu indecorus, qui Græcis etiam est ἄχετος, vt qui hominem concutit, & ita velut deformat, dicitur Cachiñus. Hinc Cachinnones sunt ridibundi, vt scurræ, & Cachinnari est solute, immodice, profuse ridere. At risu

risu emori, risu diffluere, pro vehemēter ridere accipiuntur. Huc pertinet risus ex titillatione. Et quidē titillatus, quo alii incautos nos aggrediuntur, multo profusiorē risum facit. Est qui risum Sardonium interpretatur de risu nimio & amplo, quando quis ore vehementer diducto ridet, quem risum Græci vocant πλατὺν, & Erasmus Roterodamus opinatur appellari συγκρύσιον, id est, concutientem. Sed idem Erasmus auctor est, risum Sardonium posse accipi de risu ficto, amarulēto, contumelioso, subsannāte, insano (vt cum instantibus malis insane ridetur) de risu irati, & eius qui apud se perniciem alicui destinat, qualis erat risus Vlyssis apud Homerum, procos iam e medio sublaturi, & Iouis apud Hesiodū irati Prometheo propter ignē furto sublatum. Cic. 7. Epistolarum, videris, inquit, mihi vereri ne si ipsum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδώνιον, significans futurum, vt, si Cæsar rerum potiretur multis arridere & applaudere

cogerentur, quæ magnopere displi-
cerēt. Et supra monui, Sardonium et-
iam risum a medicis vocari oris tortu-
ram seu spasmum Cynicum, qui est vi-
tium compositum ex paralysi & con-
uulsione, in quo facies figuram natu-
ralem mutat propter suorum muscu-
lorum motum præter naturam. Ve-
rum hæc quodam̃odo παρὰ μέλος. Re-
deamns ad inceptum.

*Nimius risus parit lacrumas, affert mor-
tem aliquando.*

Nimus seu profundior risus sæpe
excutit lacrymas, sicut sæpe nimiam
cordis dilatationem compressio exci-
piens fletum risui intermiscet. Zeuxis
pictor nimium ridendo exspirauit.
Ridebat scilicet, sine fine anū a se pi-
ctam. Chrysippus (aliis Palæmon) et-
iam conspiciens asinum vescentem fi-
cis ridendo mortuus est. In nimio
enim risu propter caloris & spirituum
effusionem & resolutionem fiunt vi-
res adeo imbecilles, vt fere iis destitu-
ti vix

ti vix manibus aliquid tenere, & pedibus consistere eorumque officio fungi possimus. Non itaque abs re istud præcipitur a sapientibus: ἀισχέτῳ γέλωτι μὴ ἔχεσθαι a risu effuso abstine, quod nimirũ e symbolis est Pythagoræ. Moderatus contra risus naturam iuuat & reficit animum. Moderato subiicitur decorus, immoderato indecorus, procax, lasciuus, vt qui ab impotenti animo proficiscitur, vt meretricis quem Clemens vocat κικλισμὸν, procacem & libidinis notas spirantem καγχασμὸν. Talis omnino solet esse eorum, qui Prouerbio, de tribu Leui notati sunt. Sicut enim risus αὐτόματος, sine caussa argumentum est stultitiæ, sic indicium leuitatis est ridendo modum & decorum excedere. Cachinnos reprehendit Plato libr. tertio de Republica, & Ouid. 3. artis, vbi ridendi rationem puellis tradit his versibus:

Est quæ peruerso distorqueat ora cachinno,
Cum risit læta est altera, flere putes.

Illa ſonat raucum quiddam, atque inamabile ridet.
Vt rudit a ſcabra turpis aſella mola.
Sint modici rictus, ſint paruæ vtrinq; lacunæ,
Et ſummos dentes ima tabella tegant.
Nec ſua perpetuo contendant ilia riſu.
Sed leue, neſcio quid fœmineumq; ſonēt.

Dicitur & riſus alius εὔκαιρος, id eſt, tēpeſtiuus, alius ἄκαιρος, id eſt, intempeſtiuus, quod Ethicæ conſiderationis eſt. Tempora ſunt riſus, & habet ſua tempora fletus. De intempeſtiuo riſu eſt ſic Iambicus ſenarius, γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακὸν, quem ſic verti. Nō in loco riſus graue in vita malum. Ad riſum effuſum, laſciuum, indecorum, & intempeſtiuum, referri poteſt riſus Chius, Ionicus, Megaricus, de quo vide Eraſmi Adagia.

Quidam etiam diſtinguunt inter riſum Hilaritatis, Stultitiæ & Malitiæ, (cum lætitiæ adiuncta eſt malitia) qualis fuit Chami deridentis paternā turpitudinem.

Theses de Risu.

1 Risus commune AB VNO, qui proprie vel improprie dictus.

2 Proprie dictus est risus simpliciter seu absolute, vel κατὰ τι.

3 Risus simpliciter cum effusior est, dicitur Cachinnus.

4 Risus κατά τι, dicitur subrisus, quem sæpe excitat amœnum.

5 Risus improprie seu ἀκύρως, dictus est risus e titillatione, vel risus simiæ, simulacrum potius risus.

6 In omni risu mouetur musculus, qui est ad latera oris, quæ pars rictus dicitur.

7 In risu proprie dicto partes cor, p̃cordia facies mouentur motu primo.

In risu ἀκύρως dicto partes mouentur motu secundo, attrectatione vel ictu, vnde calor inducitur, dilatans præcordia ad quorum motum facies mouetur.

8 Risus proprie dictus definitur a quodam motu sonoro membrorum

ſpiritalium hominis cum ſituatione partium faciei.

9 Definitio non placet. Non enim omnis riſus eſt ſonorus: Nec omnia membra ſpiritalia, in quouis mouentur riſu. Et a voce Situationis hoc loco abhorret: Ac nimis ea generalis eſt, & ſpecialior adhibēda, nempe diductio tranſuerſa oris.

10 Nec placet definitio riſus ſimpliciter dicti tradita a Mancinio: dilatatio cordis humani, &c. Dilatatio enim cū cauſſa ſit efficiens, Genus eſſe non poteſt, quod eſt Diductio in tranſuerſum oris (ipſa riſus forma.)

11 Magis igitur arridet hæc: Diductio oris hominis in tranſuerſum facta propter rei ridiculæ cognitionem ad probandam animi voluptatem.

12 Quanquam & hæc non omnino mihi probatur, perfectior & λογικωτέρα, foret, ſi Rei ridiculæ tolleretur & ridiculum ſpeciatim nominaretur ſic propter cognitionem ſpeciei iucunde afficientis.

13 In

13 In hac ſpecie ſunt inſolentia, vel deformitas ſeu turpitudo indecorumve, argutiæ, inopinata. Exempla Ridiculi ſunt Ludicrum Depoſitionis Scholaſticæ: crepitus ventris, cum quæritur apud Ariſtophanem in nubibus, ore ne, an podice ſonum edāt culices, & ſexcenta id genus alia.

14 Deformitas illa eſt reipſa inhærens, vel facta ſeu ſimulata (ſtudii) vt hiſtriones os intorquētes data opera.

15 Reipſa inhærens eſt naturalis vel fortuita, id eſt, eſt a Natura vel a Caſu.

16 Ordo naturæ in riſu proprie dicto hic eſt, 1. Ridendum eiuſque ſenſus. 2. Cordis dilatatio. 3. Motus vehemens ſepti tranſuerſi. 4. Motus muſculorum qui ſunt ad latera faciei, ſeu extenſio rictus. Anima rationalis, & facultas ridendi ſunt cauſſę efficientes remotiores.

21 Interdū in eo lacrymamur. Quia humor laſſitudine meatuū & infirmitate virtutis retentricis exprimitur ac effunditur. Fit hoc, cum reſolutione

ſpirituum in cachinnũ prorumpimus. Id eſt riſu diffluere.

17 Riſus proprie dictus eſt ſonorus vel non ſonorus.

18 Sonorus, eſt qui fit cum ſono excitato a ſpiritu e pulmonibus per guttur exeunte, propter illius ad internas oris partes, vbi buccę ſunt alluſionem.

19 Hic fit cum clamore (clamoſus dici poteſt) vel ſine clamore.

20 Qui fit cum clamore dicitur Cachinnus per Onomatopœiam, Græce καγχασμὸς, riſus diſſolutior.



THESES DE RISV, FLETV, ET LOCVTIONE.

Respondente Iohanne Kuhl Marpurgensi.

RIsvs eſt diductio oris in tranſuerſum, facta ab homine, propter rei ridiculæ ſenſum & conſiderationem, ad declarandam animi voluptatem.

Deſcriptio ex forma, ſubiecto, obiecto, efficiente & fine.

Subiectum, recipiens Homo,

Obiectum res ridicula, ſiue ſit factum ſiue dictum nouum, inſolẽs, inopinatum, argutum, admirabile, ludicrum, ineptum, indecorum.

Cauſſa efficiens externa, eſt ſenſus rei ridiculæ, motus muſculorum, thoracis & buccarum.

Interna partim anima rationalis, partim facultas ridēdi, partim imaginatio & consideratio rei ridiculæ, partim affectus cordis inde resultans.

Forma diductio oris in trāsuersum, seu extensio rictus in facie.

Finis, declaratio voluptatis ex re percepta.

RISVS *Sonorus* vel *Insonorus*.

Sonorus, qui fit cum sonitu excitato a spiritu e pulmonibus per guttur exeunte, propter illius ad partes oris internas allisionem. Hic fit *Sine clamore* vel *Cum clamore*, & dicitur *Cachinnus*.

Fletus.

Fletus est profusio lacrymarum ex oculis, facta ab homine, propter flebilis sensum & considerationem, ad declarandum dolorem.

Subiectum, Recipiens Homo.

Obiectum Res flebilis: scilicet omnia ea, quæ dolorem tum inferre, tum tristitiam mouere solent.

Externa

Externa efficiens, partim ſenſus rei flebilis, partim compreſſio vehemens angulorum oculi.

Interna præter animam rationalem & facultatem, partim imaginatio & conſideratio rei flebilis, partim affectus cordis inde ſequens.

Materia fletus ſunt lacrymæ, quæ ſunt proprie guttæ aquæ, ex oculis hominis profluētes, ortæ ex humore excremētitio, a venis capitis ad carnem ſpongioſam oculorum delatæ, ibique collectæ.

Forma, profuſio lacrymarum ex oculis.

Finis, declaratio doloris ex re flebili perceptus.

Fletus Sonorus fit cum ſingultu ac voce querula & triſti, & ſi eſt im̄oderatus, dicitur Ploratus & Eiulatio.

Fletus inſonorus ſine ſingultu & voce querula.

Summa riſus & crocodili eſt ſimulacrum riſus.

Locutio.

LOCVTIO est operatio hominis externa, quæ res conceptas per voces articulatas enunciat & ſignificat.

Cauſſa efficiens Principalis, Organica.

Principalis, formatio vocũ articulatarum, & earundẽ diſtincta prolatio.

Organica, partim Pulmo, partim Guttur, partim Os cũ ſuis partibus, vt ſunt Lingua, Labia, Dentes, Glottis, Epiglottis, Muſculi.

Obiectum locutionis res, quas homo intra ſe concepit & cogitauit: vulgo Conceptus.

Effectũ ſermo ſeu oratio, quæ eſt vocum ex ore ordo, prolata ad enuntiandum & ſignificandum res conceptas.

Vox articulata eſt ſonus ex ore hominis prolatus, cum determinata alterius rei ſignificatione.

Eius efficiens, ſi ſonum ſpectes, eſt repercuſſio aeris e pulmone exeuntis, ad articulos internos gutturis, & epiglottidem.

Si

Si articulationẽ ſoni, eſt motus voluntarius ac determinatus linguæ aliorumq; organorum ad hunc vſum deſtinatorum.

Si ſignificationẽ cauſſæ eſt liberum arbitrium ſeu pactio & conuentio hominum.

FINIS.

PROSTAT FRANCOFVRTI IN OFFICINA PALTHENIANA.



M. DC. VII.

